
AV
GVSTA
ÆMONA
VETVSTA,
TE TRIVM
PHANS

# EPITOME CHRONO-LOGICA,

K. K. LYCEAL BIBLIOTHEK ZU LAIBACH

Continens Res Memorabiles, Nobilis, & Antiquiſſimæ Urbis LABACENSIS, Metropolis Inclyti Ducatûs Carnioliæ.

*Ab Orbe condito, uſque ad annum Chriſti, M. DCC. IV.*

Dedicata Honoribus Nobilis, ac Eruditæ Academiæ.

## OPEROSORUM LABACENSIUM.

Ex probatis Authoribus, & propriâ Scientiâ collecta.

*Authore* JOANNE GREGORIO à Thalberg Labacenſi, Inter Academicos Operoſos dicto Provido.

*Anno à partu Virginis* CIↃ. IↃ. CC. XIV.

*Æmonæ conditæ* 2935.

LABACI, Formis, J. G. M. Inc. Prov. Carn. Typ.

# EPITOME
# CHRONO-
# LOGICA,

Continens Res Memorabi-
les, Nobilis & Antiquiſſimæ Urbis
LABACENSIS, Metropolis Inclyti
Ducatus Carnioliæ.

*Ab Orbe condito, uſque ad
annum Chriſti, M. DCC. IV.*

Dedicata Honoribus
Nobilis, & Eruditæ Academiæ

## OPEROSORUM
## LABACENSIUM.

Ex præcipuis Authoribus, & pro-
priâ Scientiâ collecta.

*Authore* JOANNE GREGORIO
Thalberg Labacenſi, Inter Academicos Ope-
roſos dicto Provido.

*Anno à partu Virginis* CIↃ. IↃ. CC. IV.

IN=030006862

LABACI, Typis [illegible] Mayr, Inc. Prov. Carn. Typ.

*Excellentiſſimis, Illuſtriſ-
ſimis, Reverendiſſimis, Perillu-
ſtribus, Admodum Reveren-
dis, Nobilibus, ac
Generoſis.*

# D. D. ACADEMICIS
# OPEROSIS LA-
# BACENSIBUS

Providus Coacademicus Feli-
citatem.

*Tenue hoc opuſcu-
lum, quod binas
ob rationes elabo-
randum ſuſcepi,
cum ut Patriæ de-
bito, quod ab ortu contraxi, im-
primis aliquantulum ſatisfa-*

*ciam*, Eſt enim illa, *teſte Euripide*, velut alter quidam DEUS, & primus, maximusque parens, cui vitam, & quidquid majus ſit illâ, uni debemus. *Tum ut hoc nucleo immaturo, alijs, quibus cumulatius dicendi genus, & rerum geſtarum notitia contigit, pro dignitate ſua id dilatandi, & deducendi campum aperiam*, Veſtris *jure merito nominibus, eximijs; ut potè litterarum, & optimarum artium cultoribus deffero, & ſiſto.*

*Limam hanc imperfectam probè novi, multaque fuſius deducta deſiderari: verùm ampliorem tractatum refugit præſcripta brevitas, quo ſolum notabiliora in memoriam brevi negotio revocandi eſt animus. Licet porrò*

*mihi*

*mihi compertum, cunctorum genio indulgere arduum, omnibus placere difficillimum, animo non deſtituor etenim.*

In magnis voluiſſe ſat eſt.

*Hiſtoricas res elaborandas ſuſcepi, quas ego pro ſerò amplexus, cæteris ſcribendi generibus præfero: Res etenim magni momenti ſunt Hiſtoriarum ſucci, & nerui, quibus ſtat rerum præteritarum cognitio.*

Æmonam *auguſtam, primam trans Alpes Romanorum ſub Octaviano Auguſto Coloniam, ter mille propè annorum ætate venerandam, ſemper tamen vegetam, ſuſpiciendam exhibeo. Quæ poſtquam vidit dominari ſe poſſe ſæculis & raro cœli privilegio, ſe fuiſ-*

*ſe temporis poteſtati, injurijsque exemptam, ſibi non ex vano perſuadere poterit ſe ad mundi finem duraturam, & quidem non alio, niſi unico Urbium, & Regnorum fulcro,* Religione, & Pietate, *his firmabitur, his conſervabitur.*

Vos *interim benigno hunc meum conatum ſuſcipite animo, tum ut ſe in doctorum oculis audacius efferre poſſit, Veſtri clari nominis fulgore illuſtrate, & ad incrementum Reipublicæ Litterariæ ſæcula quam plurima, quod Veſtra vobis virtus præſagit, im̃ortalitate nominis perennate.*

Dabam Labaci ex Muſæo meo.

Pridie Id. Decemb. An. 1713.

*Ad*

# AD LECTOREM.

NOveris Amice Lector, quod tam paucis folijs tot ævorum eruditionem, Sæcula utpote XXV. Luſtra ſex, & integram fere Olympiadem ab Anno Mundi MM. DCCC. XXXI. Ante Chriſtum natumM. CC. XXII. uſque ad Annũ M. DCC. XIII. perſtringere attentem, me non ſolum Bucelinum clarum Authorem, ſed alios plures, qui brevitate ſua ſe commendârunt, ſecutum fuiſſe, juxta vulgatam paræmiam.

Omnia longa ſolent cunctis faſtidia ferre,
Quæ comprehenſa brevi ſunt, bene culta placent.

Nec

Nec ex hoc improbandus, quod multa ad expectationem cujuſque genij non deduxerim, ſed potius, ſi nil egiſſem, aut hæc quæ ad notam ſumpſeram, ſilentio obvolviſſem, ad phraſim Auſonij: Nemo ſilens placuit, multi brevitate loquendi.

Hiſtoriam brevem præcipit Cicero, cum ait: *Nihil enim eſt in Hiſtoria pura, & illuſtri brevitate dulcius.* Magna ponè hanc Reipublicæ adferre commoda, nemo dubitet: Hinc utiliores Reipublicæ boni ſcriptores creduntur, teſte Joanne Palatio Veneto, quam boni Imperatores, quia hi ſuis tantum dum vivunt, conſulunt, Scriptores etiam poſteris: Unde Saluſtius gloriatur in Jugurtha, majus commodum ex

ſuo

ſuo otio, quam ex aliorum negotijs Reipublicæ venturum; Imperatores etenim ſcriptorum calcaribus excitati pro dignitate imperium adminiſtrant.

Ne quis porrò conatum noſtrum alto ſupercilio ſuſcipiat, quo tam antiqua, quorum certitudo attingi haud poteſt, promere conamur, ex hinc cum typus recentiori ætate adinventus, ac ante Saturni in Italiam adventum juxta Macrobium 1. Sat. c. 8. nulla hiſtoria pondus habuerit. Noverit ille eandem longè vetuſtiorem eſſe, utpotè quæ in Ægypto primùm inolævit, cum licet ij litterarum formam nondum invenerint, ne rerum memoria extingueretur, quæ geſta fuère, ſignis, Columnis, Pyra-

midibus, & Lapidibus inſculptis, notârunt: Tum filijs narrare conſueverunt, & quaſi per manus deinceps, & hæreditariâ quadã ſucceſſione alijs alij narrando tradidère. Sunt qui Hiſtoriam in diebus Oſyridis ortam, Regis totius orbis potentiſſimi, cujus facinora in columnis exarata, poſteri mirantur, nec deſunt alij, qui illam longè ante diluvium ſcribi ſolitam fuiſſe aſſerant, cum multi ex vetuſtis patribus Divino afflati ſpiritu varia de futura mundi ruina in Lapideis columnis memoriæ mandaverint. Rerum proinde geſtarum memoria, non librorum paginis, ſed hominum animis, & ſignis conſervata fuit, do-

donec ſcribendi ratio adinventa eſt.

Quæ igitur Urbem noſtram concernunt, ex manuſcriptis Annalibus Labac. Urbis Lud. Schönlebij, Conſulis Labacenſ. quos ad An. 1660. magnâ induſtriâ congeſſit, tum ex Annalibus Patriæ Joan. Ludovici Schönlebij, Valvaſorij, & Eraſmi Franciſci, Nec non Ortelio, Cluverio, & Cellario; Reliqua vicina, aut remotiora, quæ aliquo ſaltem genere rem noſtram elucidare videbantur, ex Livio, Plinio, Strabone, Lazio, Palladio, aliiſque pluribus deſſumpſimus, Quæ demum noſtrâ tempeſtate accidêre, ex propriâ ſcientia fideliter adjunximus. His boni conſule & vale.

CEN-

# CENSURA.

OPus hoc, *Epitome Chronologica*, intitulatum, Patriæ noſtræ honorificum, à multis deſideratum, Labore, & induſtria accuratiſſimè compilatum, ex diſpoſitione, & gratioſo ordine Reverendiſſimi, & Jlluſtriſſimi Domini Vicarij Generalis Labacenſis non tam vidi, quam miratus ſum. Theatrum enim eſt, in quo Patriæ magnifica antiquitas, & dignitas lucet, referturque, & quæ vix tricenis alij clauſère libellis, congeſto hoc uno candide Lector habes. Quare attento operis honore, & Authoris merito dignum prælo judico, ac nihil in eo ſubeſſe periculi, omnia tuta, nil bonis moribus adverſum teſtor. Datum Labaci in Conventu B. M. Virginis in Cœlos Aſſumptæ, die 26. Sept. An. 1713.

(LS.) FR. JACOBUS HOFFSTETTER, Ord. Min. S. P. Franciſ. Reformat. actualis Sac. Can. & SS. Theol. Lector Gen. & Conſiſtorialis.

---

# APPROBATIO.

UT opuſculum hoc, Epitome Chronologica, nuncupatam Authore ſuo, & Patriæ honore dignum, typis mandari poſſit, hiſce conceditur Licentia. Ex officio Epiſcopali Labaci 2. Octobris, An. 1713.

(LS.) GEORGIUS ANDREAS GLADICH, J. U. D. Canon. & Vicarius Officialis Labacenſis.

# PANEGYRICA EPISTOLA

## *Ad Illuſtrem Virum Dominum Joannem Gregorium à Thalberg, Authorem Operis.*

COmpertum tibi vir Eruditiſſime arbitror clara virtuoſorum ingenia, ita naturâ, & habitu eſſe comparata, ut publico bono promovendo captâ quavis occaſione aliquid re, & nomine dignum omni virium niſu operari ſtudeant, ne horum talenta, neglecto Reipublicæ commodo, turpiter, & deſidioſè deperire, ac evaneſcere ſinant. Tu ſecùs, ſummus litterarum cultor, rarum ac præclarum nobis præbes exemplum, qui non modo juveniles tuos annos artibus excolendis, tam Politicis, quam Hiſtoricis eximiè collocâſti, Virili ætate ijs promovendis omnem operam navâſti, ac ſenium adeptus à laudabili cæpto non ceſſas: Teſtantur id tot celebres Academiæ aut à te inſtitutæ, aut indefeſſo felicis ingenij partu locupletatæ, teſtatur Inclyta Academia Operoſorum Labacenſium, quæ in te aſſiduum promotorum litterarij exercitij agnoſcit. Teſtantur tot floren-

rentiſſimæ Academiæ exteræ *Romana Arcadum*, *Bononienſis Gelatorum*, *Forolivenſis honoris Litterarij*, *& Fulginij Rinvigoritorum.* Quæ tui conſortium ultrò ambierunt, & te aggregato gloriæ ſibi duxerunt. Teſtantur tot Opera à te in lucem edita, & plura prælo parata. Teſtatur & hoc Opuſculum, quod pro Patriæ decore moliris, de quo cum Naſone gloriari potes. *Jamque opus exegi, quod nec jovis ira, nec ignes, nec poterit ferrum, nec edax abolere vetuſtas.*

Viuunt etiamnum Livij, vivunt Polybij, Herodoti, Diodori Siculi. Vivunt noſtrâ ætate fatis erepti *Schönlebij*, *Valvaſorij*, *Pelzhofferi*, & in omnis ævi conſortium ſuæ eruditionis ſpecimina inferunt, nunquam obſcuri, quia ingenij ſui partus in luce gentium conſtituerunt. *Qui victuris commendant nomina chartis*, illi ſe à communi calamitate, & ingratâ oblivione calami beneficio vindicant.

Vivent glorioſa Æmonenſia monumenta, geſta, Patrij ritus, & artes in ſæcula. Levis fama hodie quémque ad ſidera tollit, cras deprimit, ac brevibus pereunt ingentia fatis, ſola Hiſtoria illos tuetur. Alexander proinde Achilli non victorias, ac triumphos, ſed Homerum invidit, cujus beneficio æternitatem eſt conſecutus.

Quot

Quot Reges triumphis inclyti laterent etiamnum obſcuri, quot Urbes reconderentur ignobiles, niſi illas erudita penna æternitati immolâſſet. Vienna, Praga, Salisburgum, Auguſta, & Treviris minus laudis haberent, niſi eorum magnifica monumenta, Lazius, Balbinus, Mezgerus, Stengelius, & Maſenius adumbrâſſent: Non immorituræ famæ augurium eſt, ſi Trojanus, Plinium, Theodoſius Pacatum, Stilico Claudianum, Lucanum Julius nanciſcatur, rerum ſuarum præcones. Quis Attilij Reguli fidem in Patriam, Æneæ in genitorem pietatem, Scipionis heroica geſta, & Catonis vim conſilij deprædicaret, niſi Livij, Taciti, Flori, & Plutarchi, horum illuſtria geſta ab oblivione vindicâſſent. Ut ad noſtræ Patriæ decora revertamur, quis Sigismundum Lambergicum, & Thomam Crön inſignes Antiſtites Labacenſes, & Georgium Slatkoina, Labaco oriundum, eximium Epiſcopum Viennenſem extolleret? Quis Andreæ ab Auersberg, Ulrici ab Eggenberg, & Adami Rauber, Heroum magna facinora deprædicaret. Quis Caſpari, & Joſephi à Lamberg conſilij pondera, Eraſmi à Thurn Longanimitatem, Andreæ Eberhardi Rauber fortitudinem, Viti Kiſel Juſtitiam, Wolffgangi Engelberti Com. ab Auersberg Magnificentiam, Jo. Herbardi à Kazenſtein, acre judicium, Georgij Sigismundi

Com.

Com. & D. à Gallenberg, Prudentiam, & Eberhardi Leopoldi Urſini Com. de Blaggei manſuetudinem, conſilium, & induſtriam, ac aliorũ plurium ſago, & togâ illuſtrium virorum præclara merita adornaret, niſi eorum cum nomine geſta memori calamo Schönlebius, Valvaſorius, & Eraſmus Franciſci faſtis conſignâſſent. Omnia etenim opera, mortalitate donata ſunt, inter peritura vivimus: Sola Hiſtoria hæc ab interitu vindicat. *Teſte Seneca in conſ. ad Polyb. cap. 37.* Scriptorum monumentum unum eſt in rebus humanis opus, cui nulla tempeſtas nocet, nulla conſumat vetuſtas, cætera quæ per conſtructionem Lapidum, & marmoreas moles, aut terrenos tumulos in magnam eductos altitudinem conſtant, non propagabunt longam diem, quippe, & ipſa intereunt: immortalis eſt ingenij memoria.

Quapropter Tibi Vir Eruditiſſime, & inſuper Patriæ de tam eleganti hoc novo opere ex animo gratulor, ac immortali nomini Tuo applaudo, quod non ventura ſilebunt luſtra, nec ignota rapiet ſub nube vetuſtas; Tum DEUM Optimum maximum animitùs precor, ut Te in bonum publicum incolumem, quam diutiſſimè ſervet. Hæc in amicitiæ teſſeram ex ſincero animi affectu tranſſcripſit.

F. A. B. V. P. M.

Perilluſtri, ac Eruditiſ.^mo
Domino, Domino
*Joanni Gregorio à Thalberg*, Vetuſtiſſimæ Academiæ *Gelatorum Bononiæ*, ac *Operoſorum Labacenſium* Academico dicto *Provido* in ejuſdem Epitome *Rerum Labacenſium*.

UNus in anguſta celeberrimus *Auctor* arenâ.
Rem gerit, & nato condit ab orbe, brevem:
Hinc Operi precium! ſterilis quid luxus inanis
Eloquij? & multus, ſed ſine ſale, ſonus?

)( In-

Ingenij decus eſt, & maxima laudis origo,
Non multa, at multùm cum brevitate loqui.
Edocet *Epitome*, quam Tu ter docte *Joannes*
Exeris, Ingenij Nobile, & artis, opus.
Hic Labor, & Virtus, & auara licentia fandi,
Emicat, & purus, Lance, ſtylóque, Lacon.
Nam licet exili cernatur mole *Libellus*,
Atque brevem titulo Pagina pauca tegat;
Jlle tamen Patriæ memoranda exordia pandit,
Pandit, & antiquæ grandia fata plagæ;

He-

Heroas pariter veteres, & geſta
revoluit,
Nec non quas longo marte
tulêre vices!
Quæque anni obſcurâ rapuêre
ab origine mundi,
Quæque avido tempus den-
te terebat edax!
Hic facilè ſeries numerò *Chrono-
logica* ſignat,
Politico Hiſtoricis ſparſa ſub-
inde notis.
Utque *Operi* major derivet glo-
ria honóſque
Carpit inaſſuetam, *condito
ab orbe*, viam.
Libatim quidquid ſpargit quam
plurimus Author,
Colligis, hinc doctus, quod
cupit, orbis, habet.

Singula quid memorem? libri
lectura docebit,
Quantus erat ſtudio *Scriptor*,
& ingenio.
Sat mihi docte Tuis Thalnitſcher
Laudibus uti,
Atque *Tuo* ſegnis poſſe La-
bore frui.
Hinc quoties per me laudanda
hæc ſcripta legentur
Admirator inops, ut modo,
ſemper ero.
At neque ſolus ero, toto mirabe-
ris orbe,
Nam verba immenſum ſin-
gula pondus habent
Utque igitur *Tu* labe cares, Cen-
ſore carebis,
Frangitur eloquio livida lin-
gua *Tuo*.

Et

Et quid Jo! livor rabidus, Momíque capeſſant,
Syllaba ubi nulla eſt, quæ ſinè laude fluat,
Invidiam ſuperavit opus, *doctiſſime Scriptor*
Et qua nemò alius, *Tu* tamen unus abes.
Quod ſiquidem nulli licuit tentare priorum,
Haud facile poterunt ſæcla futura ſequi,
Tu vaſto remeas, & non inglorius, auſu,
Hiſtoriæ plenum cautibus, *Unus*, iter.
Sic merito à cunctis, nulli immitandus, amaris,
Ipſe faber Famæ, conſul, & *ipſe Tuæ.*

Nec

Nec ſine fatorum ſpeciali munere quodam
*Tu* coleris Patrias *Prividus* inter *Apes.*
Colligis Vnus Jo venturo *Providus ævo*
Ac ſtruis æternos, ſorte favente, favos:
Annuit auſpitio Polus! en jam læta per orbem,
Solvitur in plauſus nuntia Fama *Tuos!*
*Epitome*, O felix! tamen ò felicior *Auctor*
Mutua uterque ſibi laude trophæa canat.

Franciſc. Ignatius Androcha L. B. de Andros. Inter Academicos *Operoſos* Labac. dictus Redivivus, & Acad. Nobiles Parmenſes, dictus Molis.

## Ejuſdem Operi intitulato, *Epitome Chronologica Antiquiſſimæ Metropolis Urbis Labacenſis* ita aſſurgere voluit Franciſcus Chriſtophorus Wogathey, Vice-Dominatûs Carnioliæ Secretarius, & Fiſcalis Cæſareus. Inter Academicos *Operoſos* dictus *Congruus*.

P*Rovidus* Æmonæ Hiſtoricis, *Operoſá*, viretis
 Mella legis: Patrio, dulcia dona, ſolo,
Mella legis, fallor! ſed parces, lecta propinas,
 Perge! *Cui* cordi eſt Patria, Muſa, Decor.

Epi-

# In Epitomen Chronologicam,
## Antiquiſſimæ Urbis Labacenſis.

*Perilluſtris Domini, Domini Joannis Gregorij à Thalberg, Provincialis Carnioliæ Coacademici.*

### Ode Gratulatoria.

HÆſerat *Æmonæ* vox interclusa palato,
Et nullum poterat reddere lingua ſonū,
Sed loquitur *Thalberg*: numeroſo pondere laudis,
Edidit *Æmonæ* lingua ſoluta ſonos
Hic dat perpetuis victura volumina chartis.
*Æmonæ* in laudem, nobile mentis opus
Scribere præclarè geſtas ex omnibus unus,
Qui res præclarè geſſerat, aptus erat
Pingere *Labacum* ſolus fuit aptus Apelles.
Dicere, ſed *Thalberg* ſolus, & aptus adeſt,
Rexerat hos laudis ſapientia juris habenas,
Ut doceat dignis *Te* genuiſſe modis,
Mens generoſa nequit tantum uni inſiſtere palmæ,
Sed laudem calamo quærit, & ingenio.
Hinc *Tua* ſunt geminæ Virtus, doctrinaque palmæ
Quêis immortali ſydere currit honos.
Legibus ut nova ſit, nova ſit *Tibi* gloria libris,
Creſcat in immenſum nobile ſtema *Tuum.*

*Ita applaudit*

Joan. Baptiſta Felber, J. U. D. Provinciæ Carnioliæ in Prætorialibus Juratus Advocatus Academicus Operoſus Labac. dictus *Verendus.*

Perilluſtri, ac Eruditiſ.mo
Domino, Domino
*Joanni Gregorio à Thalberg*, Vetuſtiſſimæ Academiæ *Gelatorum Bononiæ*, ac *Operoſorum Labacenſium* Academico dicto *Provido* in ejuſdem Epitome *Rerum Labacenſium.*

UNus in anguſta celeberrimus *Auctor* arenâ.
Rem gerit, & nato condit ab orbe, brevem:
Hinc Operi precium! ſterilis quid luxus inanis
Eloquij? & multus, ſed ſine ſale, ſonus?

)( In-

Ingenij decus eſt, & maxima laudis origo,
Non multa, at multùm cum brevitate loqui.
Edocet *Epitome*, quam Tu ter docte *Joannes*
Exeris, Ingenij Nobile, & artis, opus.
Hic Labor, & Virtus, & auara licentia fandi,
Emicat, & purus, Lance, ſtylóque, Lacon.
Nam licet exili cernatur mole *Libellus*,
Atque brevem titulo Pagina pauca tegat;
Jlle tamen Patriæ memoranda exordia pandit,
Pandit, & antiquæ grandia fata plagæ;

He-

Heroas pariter veteres, & geſta revoluit,
Nec non quas longo marte tulêre vices!
Quæque anni obſcurâ rapuêre ab origine mundi,
Quæque avido tempus dente terebat edax!
Hic facilè ſeries numerò *Chronologica* ſignat,
Politico Hiſtoricis ſparſa ſubinde notis.
Utque *Operi* major derivet gloria honóſque
Carpit inaſſuetam, *condito ab orbe*, viam.
Libatim quidquid ſpargit quam plurimus Author,
Colligis, hinc doctus, quod cupit, orbis, habet.

Singula quid memorem? libri lectura docebit,
Quantus erat ſtudio *Scriptor*, & ingenio.
Sat mihi docte Tuis Thalnitſcher Laudibus uti,
Atque *Tuo* ſegnis poſſe Labore frui.
Hinc quoties per me laudanda hæc ſcripta legentur
Admirator inops, ut modo, ſemper ero.
At neque ſolus ero, toto miraberis orbe,
Nam verba immenſum ſingula pondus habent
Utque igitur *Tu* labe cares, Cenſore carebis,
Frangitur eloquio livida lingua *Tuo*.

Et

Et quid Jo! livor rabidus, Momíque capeſſant,
Syllaba ubi nulla eſt, quæ ſinè laude fluat,
Invidiam ſuperavit opus, *doctiſſime Scriptor*
Et qua nemò alius, *Tu* tamen unus abes.
Quod ſiquidem nulli licuit tentare priorum,
Haud facile poterunt ſæcla futura ſequi,
Tu vaſto remeas, & non inglorius, auſu,
Hiſtoriæ plenum cautibus, *Unus*, iter.
Sic meritò à cunctis, nulli immitandus, amaris,
Ipſe faber Famæ, conſul, & *ipſe Tuæ.*

Nec

Nec ſine fatorum ſpeciali munere quodam
*Tu* coleris Patrias *Prividus* inter *Apes*.
Colligis Vnus Jo venturo *Providus ævo*
Ac ſtruis æternos, ſorte favente, favos:
Annuit auſpitio Polus! en jam læta per orbem,
Solvitur in plauſus nuntia Fama *Tuos!*
*Epitome*, O felix! tamen ò felicior *Auctor*
Mutua uterque ſibi laude tróphæa canat.

Franciſc. Ignatius Androcha L. B. de Andros.
Inter Academicos *Operoſos* Labac. dictus Redivivus, & Acad. Nobiles Parmenſes, dictus Molis.

Ejuſdem Operi intitulato, *Epitome Chronologica Antiquiſſimæ Metropolis Urbis Labacenſis* ita aſſurgere voluit Franciſcus Chriſtophorus Wogathey, Vice-Dominatûs Carnioliæ Secretarius, & Fiſcalis Cæſareus. Inter Academicos *Operoſos* dictus *Congruus*.

*PRovidus* Æmonæ Hiſtoricis, *Operoſá*, viretis
Mella legis: Patrio, dulcia dona, ſolo,
Mella legis, fallor! ſed parces, lecta propinas,
Perge! *Cui* cordi eſt Patria, Muſa, Decor.

I Epi-

# In Epitomen Chronologicam,
## Antiquiſſimæ Urbis Labacenſis.

*Perilluſtris Domini, Domini Joannis Gregorij à Thalberg, Provincialis Carnioliæ Coacademici.*

## Ode Gratulatoria.

HÆſerat *Æmonæ* vox intercluſa palato,
Et nullum poterat reddere lingua ſonũ,
Sed loquitur *Thalberg*: numeroſo pondere laudis,
Edidit *Æmonæ* lingua ſoluta ſonos
Hic dat perpetuis victura volumina chartis.
*Æmonæ* in laudem, nobile mentis opus
Scribere præclarè geſtas ex omnibus unus,
Qui res præclarè geſſerat, aptus erat
Pingere *Labacum* ſolus fuit aptus Apelles.
Dicere, ſed *Thalberg* ſolus, & aptus adeſt,
Rexerat hos laudis ſapientia juris habenas,
Ut doceat dignis *Te* genuiſſe modis,
Mens generoſa nequit tantum uni inſiſtere palmæ,
Sed laudem calamo quærit, & ingenio.
Hinc *Tua* ſunt geminæ Virtus, doctrinaque palmæ
Quêis immortali ſydere currit honos.
Legibus ut nova ſit, nova ſit *Tibi* gloria libris,
Creſcat in immenſum nobile ſtema *Tuum*.

*Jta applaudit*

Joan. Baptiſta Felber, J. U. D. Provinciæ Carnioliæ in Prætorialibus Juratus Advocatus Academicus Operoſus Labac. dictus *Verendus*.

# EPITOME CHRONOLOGICA

*Continens res memorabiles Urbis Labacenſis, Metropolis Carnioliæ, ab Orbe Condito, uſque ad Annum Chriſti* M. D. CC. XIV.

## PROEMIUM.

RES memorabiles Antiquiſſimæ Urbis Labacenſis, veteris Æmonæ longè celeberrimæ, compendiô, tenuique Stylo auſpicaturus exiſtimavi haud abs re fore ſi univerſam hiſtoriam, in brevitatem, ob temporis præfixi anguſtiam, unicè intentus, parva quaſi tabellâ adumbratam, amplecterer, totámque Urbis ejuſdem ætatem, ut cæperit, adoleverit, ut ad aliqualem juventæ florem, ſeu maturam ætatem pervenerit, ac demum conſenuerit, ſub ſchemate, ſeu ſimulacro matronæ cujuſdam venerandæ repræſentarem: quam ſi penitius inſpexeris, quatuor gradus, progreſſúſque ejus invenies.

Prima proinde ætas Jaſoni inclyto Heroi Theſſaliâ oriundo, & Argonautis, eum inexpeditione nauali, cum eos Æta proſequeretur comitantibus, tribuenda: Infantiæque ejus, quod quingentos per annos evenerat, æquiparanda. Inde usque ad AuguſtiCæſaris tempora, cujus auſpicijs colonia huc deducta DCC. XXII. per annos, quo primævâ fruebatur libertate, quis Adoleſcentiam dixerit. Dehinc confirmatis viribus, ob tot migrationes gentium, uſque ad Attilæ excidium Heroina fortis juveneſcere cæpit, & maturitatem adverſa fortiter tolerando oſtentare. Donec tandem ſeptingentos per annos ad Narſetis uſque tempora, varijs jactata incommodis conſenuerit, cujus auſpicijs ad alteram quaſi infantiam devoluta renaſci, & cujusdam in morem Anthæi toties inter bellorum tumultus, & rerum viciſſitudines proſtrata, ſemper vigoroſior reſurgere, & tum ædificiorum cultu, tum incolarum copia, ope divinâ, revireſcere cæpit. Quæ ſingula ſuis non fucatis adſcititijs coloribus delineata, paucis primoribus annis aliunde accerſitis notabilioribus eventibus, quæ alibi accidêre, proprijs, ut ordo temporis ſervetur, ſubſtitutis, ob oculos lectoris benigni ponere aggredior.

PRI-

# PRIMA ÆTAS.

## *Año Mundi M.M.DCC.XXXI.*
## *Ante Chriſtum M.CC. XXII.*

COnditur veris initio Æmona urbs vulgo Labacum, Germanis Laybach, Italis Lubiana, à Jaſone Aeſonis ex Polymila filio, duce claro, à quo genita, & Argonautis, qui amænitate loci pelecti, relictis ſocijs, hic ſuam ſedem fixêre, quaſi educata fuit.

Pauca cæterum de hoc tenera ætate notata reperimus, nec mirum, de tam vetuſto ævo, interim, ut Hiſtoria ab oſtio recto tramite ad ſuum ſcopum procedat, quæ nobis absque ſolerti indagine innotuerunt, promemus.

An. ante Chriſtum 1221. Æmonæ 2. Argonautæ navi ſolutâ, ac humeris ſuis quoad neceſſarias partes, per juga montiū translata, ad littus maris non procul Aquileja conſederunt, tum navi reparatâ reduces in Patriam Polam condiderunt.

An. ante Chriſt. 1204. Æmonæ 19. Creſcunt per Iſtriam, & Japydiam oppida Colchorum, qui Argonautas proſecuti ſunt, unde ſenſim ſuccreſcentes populi olim Romanis formidabiles futuri.

An. a. C. 1198. Æmonæ 25. Japydes noſtri majori ex parte Græcis paruiſſe feruntur.

An. a. C. 1197. Æmonæ 26. Hac tempeſtate Paris regem Sidoniorum, à quo amicè hoſpitio ſuſceptus fuerat, inſidiosè interficit, & Helenâ raptâ Trojam appulit, unde ortum decennale bellum.

An. a.C. 1195. Æmonæ 28. durante bello Trojano pace fruūtur Hyperborei, & Japydes noſtri

An. a. C. 1190. Æmonæ 30. Agamemnon raptæ Helenæ affinis Iphigeniam filiam temerario auſu dijs immolat, ut Trojâ potiretur.

An. a. C. 1182. Æmonæ 41. captâ Trojâ multi è Græcia, & Phrygia dilapſi in Pannonia conſediſſe feruntur.

An. a. C. 900. Æmonæ 323. Japydes noſtri Jonicum, nunc Adriaticum mare ex parte cum Liburnis adcoluerunt.

An. a. C. 811. Æmonæ 412. Macedones hucusque clauſi finibus cum vicinis Dalmatis, Liburnis, & Japydibus bella gerunt, donec Philippus, & Alexander filij ejus immortales gloriæ lauros genti decerperent.

An. a. C. 775. Æmonæ 448. florente Græcorum imperiô Japydes Græcis paruiſſe perhibentur quousque. Eorum decreſcente potentiâ vicini populi Illyrij, Pœonnes, Norici, Celtæ &c. ſuos ſibi Reges deligerent.

An. a.C. 772. Æmonæ 451. Romulus, & Remus

mus urbis,& Rom.Imp. conditores naſcuntur.

An. a. C. 751. Æmonæ 472. Terrarum Dea, gentiumque Roma, cui par eſt nihil, & ſecundum, teſte ovidio, conditur.

An. a. C. 750. Æmonæ 473. Romulus Romæ jus dicit,& ſingula ordinat.

# ÆTAS II.

## *Adoleſcentia ſeu tenera ætas urbis Labacenſis.*

AN. a. C.727. Æmonæ 500. hac tempeſtate, urbs noſtra infantiam transgreſſa, Adoleſcentiam, varijs gentium migrationibus vexatam, & continuis bellicis motibus ac vaſtationibus impetitam, adoritur; donec à Romanis ſuperata, adeo adamata fuerit, ut primam eò cis Alpes Julias ſuam è latio deduxerint Coloniam.

An. a. C. 675. Æmonæ 548. Carnia feſta in honorem Apollinis à Carno Vate inſtituuntur, hinc menſis Majus ab hiſce feſtis apud Lacedemones Carnius dictus à quo etiam Carniam, ſeu Carnioliam nomen mutuaſſe ferunt.

An. a. C. 671. Æmonæ 552. moritur Numa Pompilius alter à Romulo Rex.

An. a. C. 604. Æmonæ 619. Celtæ primùm in

in Carnioliam migrant, ac hîc habitare cæperunt. Galli duce Bellovero in Italiam tranſeunt.

An. a. C. 598. Æmonæ 630. Galli duce Elitonio ſecundò in Italiam migrant: ac poſt hos Saluſij, Boij, & Lingones, tum ſenones.

An. a. C. 552. Æmonæ 671. Conditur Weixelberga in inferiori Carniolia tribus milliaribus Labaco remota.

An. a. C. 505. Æmonæ 718. Senia, Japydiæ noſtræ oppidum, conditur.

An. a. C. 415. Æmonæ 808. Modruſa ſeu Meruſium, vetus Japydiæ oppidum, exſtrui cæptum.

An. 4. C. 393. Æmonæ 830. à Senonenſibus conditur, trajecto ſinu Adriatico, Senogalia.

An. a. D. 389. Æmonæ 834. Galli Hetruriam hoſtilibus armis infeſtant.

An. a. C. 388. Æmonæ 835. Galli vi Romam capiunt, igne, ferro omnia immaniter vaſtant.

An. a. C. 372. Æmonæ 851. magna hoc tempore Jllyriorum potentia vaſtum terræ ſpatium occupat.

An. a. C. 366. Æmonæ 857. Jllyrij Gallis permixti Agros Romanorum populantur.

An. a. C. 357. Æmonæ 866. Macedones Jllyrios fugant, & eorum ſeptem millia cædunt.

An. a. C. 328. Æmonæ 895. Japydes, & Cel-

Celtæ noſtri pace cum vicinis pactâ fruuntur.

An. a. C. 301. Æmonæ 922. Patavium celtæ noſtri tuentur.

An. a. C. 282. Æmonæ 941. Romani Celtas, ſeu Gallos Senones bello devincunt.

An. a. C. 278. Æmonæ 945. Scordiſci Jllyricorum gentes cum Celtis in Græciam irrumpunt, & Delphis templum Sacrilegâ manu expoliant.

An. a. C. 237. Æmonæ 986. Galli Transalpini bellum contra Romanos movent.

An. a. C. 228. Æmonæ 995. Bellum Jllyricum cum Romanis cæptum.

An. a. C. 227. Æmonæ 996. Theuto Jllyriorum Regina cum Romanis pactum init, & tributum ſpondet.

An. a. C. 222. Æmonæ 1001. Romani ad Aduam fluvium, qui Padum influit, decem millia Gallorum cædunt.

An. a. C. 221. Æmonæ 1002. Græci Jllyrijs juncti Spartam occupant.

An. a. C. 220. Æmonæ 1003. Hiſtris à Romanis bellum illatum, qui licet fortiter reſiſtant, tandem vì ſubjugantur.

An. a. C. 212. Æmonæ 1011. Philippus Macedo Liſſum in Jllyrico occupat.

An. a. C. 184. Æmonæ 1039. Carni primò ex agro Aquilejenſi in Patriam migrant.

An. a. C. 182. Æmonæ 1041. Japydes noſtri cum Gallis Transalpinis Oppidum in agro Aquilejenſi condunt.

An. a. C. 181. Æmonæ 1042. Japydes, & Iſtri navalibus aſſueti excurſionibus in Apulia Tarentinos, & Brunduſinos infeſtant.

An. a. C. 280. Æmonæ 1043. Galli Tranſalpini latè in Pannonia dominantes, Coloniа Aquileam ne deducatur, Romanos impedire nituntur.

An. a. C. 178. Æmonæ 1045. Jſtri novam Aquilejenſium Coloniam infeſtant.

An. a. C. 177. Æmonæ 1046. Bellum Iſtricum Romanis variô eventu exarſit.

An. a. C. 176. Æmonæ 1047. Iſtri à Romanis victi: Metulum Urbs primaria capta & Japydes noſtri in Romanorum fidem recepti.

An. a. C. 170. Æmonæ 1053. Jllyrici limites ad ipſas Danubij ripas dilatantur.

An. a. C. 169. Æmonæ 1054. Iſtri, & Japydes Legatos Romam mittunt, ut contra Caſſium conſulem, qui hoſtiliter fines ſuos peragraverat, conquerantur.

An. a. C. 156. Æmonæ 1067. Dalmatæ Jllyrios populi Romani ſocios hoſtiliter infeſtant, quibus ſuccuritur à Romanis.

An. a. C. 155. Æmonæ 1068. Bellum Dalmatis à Romanis indictum.

An. a. C. 154. Æmonæ 1069. Dalmatæ à

 Ro-

Romanis ſubjugantur. Delminium expugnatum.

An. a. C. 128. Æmonæ 1095. fit prima adverſus Japydes noſtros, qui Tergeſtinum portum occupârunt, Romanorum expeditio, Duce Sempronio Tuditano.

An. a. C. 127. Æmonæ 1096. Superatis Japydibus Tergeſtum conditur, & colonia Romana eo deducitur.

An. a. C. 118. Æmonæ 1105. Romani Segeſtanos Japydibus conterminos ad Savi, & Colapis confluentes debellarunt.

Japydes Romanum jugum excuſſerunt.

An. a. C. 117. Æmonæ 1106. Martius conſul Carnos gentem Alpinam Gallicam Japydibus conterminam expugnat.

An. a. C. 112. Æmonæ 1111. Papyrius Carbo conſ. à Cimbris ad Norejam hodie novum oppidum Styriæ profligatur.

An. a. C. 111. Æmonæ 1112. Scordiſci Macedoniam incurſant.

An. a. C. 108. Æmonæ 1115. Cimbri Patriam noſtram hoſtiliter inundant, ac per has partes in Italiam contra Romanos tranſitum moliuntur: Ocram, ſeu Haiduſchinam diruunt.

An. a. C. 107. Æmonæ 1116. Cimbri Romanos trinâ clade afficiunt, & latè victricia arma circumferunt.

An. a. C. 104. Æmonæ 1119. Cimbri de-

nuò Romanos ingenti clade notant, & 80. millia eorum funeſtant.

An. a. C. 101. Æmonæ 1112. Teutones Alpibus Julijs transgreſſis Romanos fugant.

An. a. C. 57. Æmonæ 1166. Julius Cæſar legiones, quæ in noſtris regionibus hyemabant ex hybernis educit, & in ulteriorem Galliam contra Helvetos movet.

An. a. C. 43. Æmonæ 1180. Japides noſtros amicitiam cum Romanis coluiſſe ferunt.

An. a. C. 42. Æmonæ 1181. Marcus Antonius Decimus Brutum Metulij in Japydia obſedit. Senatus offenſus Antonio Bruto ſuppetias mittit, & eum Obſidione liberat.

An. a. C. 34. Æmonæ 1189. Auguſtus Cæſar Japydiam, & Tauriſcos infeſtat. Japydes Aquileam uſque excurrunt, & Tergeſtum coloniam diripiunt.

An. a. C. 33. Æmonæ 1190. Octavius Cæſar latè victricia arma circumfert.

An. a. C. 32. Æmonæ 1191. Auguſtus Cæſar Metulum, longâ obſidione cinctum, occupat.

An. 31. Æmonæ 1192. Auguſtus adverſus Dalmatas movet, qui extremô commeatu præcluſô fame fatigati ſponte ſe dedêre.

An. 28. Æmonæ 1195. Sub Octaviano Cæſare Japydia noſtra Romanæ ſe ſubjecit potentiæ, quô factô Cæſar Auguſti nomen conſecutus.

An. 24. Æmonæ 1199. Japydes Alpini & Tranſalpini cum Noricis excuſsô jugô ſe priori libertati reſtituerunt.

An. 18. Æmonæ 1205. Publius Sillius Conſul Pannonios debellat. Romanorum Coloniam Æmonam deducit.

An. 15. Æmonæ 1208. Japydia, Carnia Tauriſcia, & Noricum Romanis fœdere, & conſtanti fide jungitur.

An. 11. Æmonæ 1212. Bellum à Romanis, Tiberio Cæſaris privigno Duce, contra Pannoniam ſuperiorem geſtum.

An. 8. Æmonæ 1215. Tiberius Nero de Dalmatis, Pannonijs & Dacis in Jllyrico triumphat.

An. 6. Æmonæ 1217. Tiberius Nero univerſam pene Germaniam ſubjugat.

An. 5. Æmonæ 1218. Rhætos, Vindelicos, Breucos, & Dalmatas ſub jugum Romanum mittit.

# ÆTAS III.

JUventam ſeu maturam ætatem Urbis Labacenſis attigimus, quæ utpotè Pannoniæ ſuperioris, & contermini Norici Prætoria, Archiflaminum, qui fuſis latè accolis ſacrum jus dicebant, ſedes, tot Legionum Ro-

ma-

manarum receptaculum, & harum Martis campus, maximis bellorum diſcriminibus, ac periculis jactata, virili pene virtute reſtitit, adverſitatum pondere potius firmata, non gravata, minùs oppreſſa, ut grandes arbores ſolent, Catonis effato: Non eſt arbor ſolida, nec fortis, niſi in quam frequens ventus incurſat; ipſa enim vexatione conſtringitur, & radices certiùs figit.

*Anno à partu Virginis, ſeu Chriſti Cœli terræque Domini opera Spiritus Sancti in terris nati.*

Anno 6. Tiberius Nero armis totam Germaniam perluſtrat. Marcomannos aggredi ſtatuit, qui vim vi repellere parant.

An. 7. Jſtri, Carni, Japydes, Norici, & Dalmatæ, gentes ad libertatem natæ, jugi Romani exoſi Moravis auxiliaturi ex conſtituto arma corripiunt. Pars in Italiam, altera in Macedoniam irrumpit. Cæſis paſſim Romanis omnia ferro, & igne vaſtant. Donec Adventu Cæſaris novis copijs opem ferente res in Pannoniâ denuò pacentur.

An. 8. Japydes, & Pannoniæ Superioris Populi Romanis iteratò adhærent.

An, 10. Pannoniâ, Dalmatiâ cum univerſo Jllyrico domato, Amantini ad Savum, & Dravum habitantes à Romanis devincuntur.

An. 14. Junius Blæſus Æmonæ jus dicens Jlli-

Illiricum, in quo Japydia noſtra, & Pannonia contenta, gubernat, ac in officio retinet.

An. 16. Æmonæ Percennius Gregarius inter tres legiones, quæ ibi caſtris æſtivis morabantur, magnam. Auguſto defuncto, ob ſtipendium non ſolutum, ſeditionem excitat, quam Blæſus ſummâ dexteritate ſopit, ac coripheos ad aliorum terrorem verberibus affici, & carceri claudi jubet, fracto viciſſim ab univerſis carcere rei tumultuantibus miſcentur, & legati Romam mittuntur.

An. 17. Pannonia pace fruens à Junio Blæſo Legato, qui militiæ præſidijs impoſitæ præeſt, gubernatur, exauthoratis, qui miſſionem Romæ poſtulabant, tumultuantibus.

An. 35. Æmonæ Neptuno erectum fanum, quod ex monumento elapſo ſæculo ibidem detecto, conjicere licet.

An. 44. Divus Petrus Aquileam, S. Marcum miſit, & Primum inclytæ illius civitatis Epiſcopum conſtituit.

An. 49. D. Marcus Hermachorum Germanum pietate clarum, ante ſuum diſceſſum Romam, in Succeſſorem Aquileæ deligit.

An. 50. Carniolia ter felix ſub ipſis Eccleſiæ incunabulis orthodoxæ fidei lacte, à S. Hermagora ejus Apoſtolo inſtilato, enutritur.

An. 51. Idem Fortunatum Diaconum in

Pan-

Pannonias & Noricum ad prædicandum Evangelium mittit.

An. 54. Titus Divi Pauli Diſcipulus Dalmatis, & Liburnis fidem veram prædicat.

An. 56. Hoc idem præſtat S. Helius in Iſtria.

An. 65. Quinta Decumana Legio, quæ ſtativa ſua Æmonæ habuit, juſſu Cæſaris Corbulo duce in Armeniam movet. Æmona Colonia jus latij obtinet.

An. 70. Hac tempeſtate Labacenſi Eccleſiæ primitus à Metropolitana Aquilejenſi Antiſtites ſuos datos ferunt.

An. 72. Titus Hieroſolymam vi capit & ſolo æquat.

An. 82. Segeſta, & Torgium Carnorum oppida, nunc vicus S. Joannis ad Timaum, & S. Petri propè Goritiam, à Decebalo Daciæ rege vaſtantur.

An. 94. Multi Romanorum Chriſtianorum ad perſecutionem Domitiani evitandam in Japydiam noſtram migrant, & lares ibidem figunt.

An 101. Trojanus Imp. debellat Decebalum, ejuſque exercitum ad internecionem fundens Daciam recuperat.

An. 102. Idem, per Japydiam noſtram, & Pannoniam reverſus Romam, triumphat.

An. 107. Hôc annô Divum Achatium Carnio-

nioliæ Patronum, cum X. millibus in monte Ararath Armeniæ pro Chriſto Sanguine fuſo, martyrij palmam obtinuiſſe, ferunt.

An. 125. Hadrianus Pannoniam Japydiam, & Reliquas Romano Imperio ſubjectas provincias luſtrat.

An. 139. Sub eodem Hadriano S. Primus Presb. & Marcus ejus Diacon. in Iſtriâ prope Tergeſtum pro Chriſto Sanguinem fundunt.

An. 151. S. Lazarus Diaconus Tergeſti in Iſtria pro Chriſto paſſus eſt.

An. 179. Aurelius Imp. ex oriente cum filio Commodo redux Æmonam tranſiens, eundem in conſulem creat.

An. 206. Severus Imp. has regiones inviſens hic, & per limitaneas Provincias triginta duas legiones præſidiarias conſtituit.

An. 237. Maximus in Pannoniam profectus Sirmij hyberna delegit adverſus Sarmatas bellum movens.

An. 240. Maximinus Æmonam nullo obice, ut verebatur, reperto, quadrato agmine petit, ac inde ſequenti die ad Aquileam obſidendam properat, ubi à Maximo fuſus interficitur.

An. 245. Gordianus Imp. ingentes copias, ſumpto itinere per Japydiam, Liburniam & Dalmatiam in Thraciam adverſus Perſas, deducit.

An.

An. 252. S. Maximus Epiſcopus Æmonen. Patronus civitatis, Aſſeſiæ in finibus Carnioliæ, ſub optimo Procon. glorioſum pro Chriſto Sanguinem fudit.

An. 256. S. Maximilianus Cileæ Evangelium Chriſti prædicat, & Epiſcopus ibi conſtituitur.

Tergeſti in veteri Carnia Ss. Virgines: Euphemia, & Thecla martyrium ſubeunt.

An. 188. Pannonia à vicinis Sarmatis & Quadis ferro, & igne vaſtatur.

An. 270. Claudius Imp. Gothos Romanorum Imperium immaniter devaſtantes inſigni clade notavit, dimidiam eorum partem delevit, reliquos fugavit, aut in captivitatem deduxit.

An. 279. Probus Sirmij in Pannonia noſtra natus in Romanorum Imperatorem inauguratur.

An. 281. Idem in Jllyrico Sarmatas, qui irruperant, inſigni prælio devicit. Gepidos, & Vandalos oppreſſit.

An. 282. Probo à militibus magno Reipublicœ damno occiſo, M. Aurelius Carus ſucceſſit, & Probi mortem ſeverè vindicavit.

An. 284. S. Pelagius Civis Labacen. Juvenis 24. Annorum ſub Numeriano Imp. & Evilaſio Judice capite plexus, glorioſum certamen ſubijt.

Sub

Sub iiſdem Maximilianus Epiſcopus Celejæ pro Chriſto Sanguinem fudit.

An. 289. S. Juſtus Tergeſtinus, Civitatis ejuſdem patronus ſub Monatio judice appenſô ad collum plumbo in mare deturbatus, martyrium ſubijt.

An. 302. SS. Heradius, Paulus & Aquilinus Novioduni, hodie Gurgfeldæ ſub Diocletiani perſecutione, martyrij palmam conſecuti ſunt

An. 308. S. Quirinus Siſciæ Epiſcopus juxta Sabariam Pannoniæ civitatem, S. Urſicius in Jllyrico & S. Felix Spalatri in Dalmatia, paſſi ſunt.

Galerius Maximinus Pannoniam noſtram in Valeriam & Saviam dividit.

An. 319. Conſtantinus Sarmatas debellavit.

An. 323. Idem Pannones ſuos inviſit & Theſſalonicæ Licinianum interfici jubet.

An. 324. Ab eodem Conſtantino Petinæ in Interiori Carniolia Epiſcopatus erigitur.

An. 329. fides Chriſtiana longè latèque per Pannoniam propagatur.

An. 331. Conſtantinus Æmonam urbem ea tempeſtate celeberrimam, Pannoniam reviſurus, tranſijt.

An. 335. Idem Jllyricum in Orientale & Occidentale dividit. Vandali, ſeu Vindi primùm in Carnioliam migrant.

An. 341. Naſcitur D. Hieronymus, in Iſtria in finibus Patriæ noſtræ in oppido Stridonis, quod Dalmatiæ pariter confinium fuit.

An. 353. Conſtantinus Gurgfeldæ in Pannonia noſtra contra Magnentium bellaturus militum delectum habet.

An. 358. Idem Sirmij hyeme exactâ veris initio advorſus ſarmatas, & Quados in Daciam movet, quos inopinatò aggreditur, cædit, fugat & ad deditionem compellit.

An. 362. Præfuit S. Æmonenſi Eccl. S. Florius triumphali Martyris palmâ æternum floridus.

An. 364. Sarmatæ, & Quadi Pannonias depopulantur.

An. 369. Binis Synodis Romæ celebratis, quibus Auxentius, Urſacius, & Valens ſunt condemnati, Caſtus Æmonen. noſtræ Eccleſiæ Præſul, interfuit.

An. 373. Japydia & Iſtria à Marcomanis, & Quadis magnis calamitatibus afficitur.

An. 376. Hunni contra Gothorum terras, tum Thraciam ac Demum Pannonias è paludibus Mœoticis primùm erumpunt, & ſe latè in Orientem, & ſeptentrionem diffundunt, ac feritate ſuâ omnia complent.

An. 379. Gratianus Theodoſium Sirmij Imperatorem creat, ac Orienti præficit.

An. 380. Gothi in Pannonias procurrentes

Pe-

Petovionem occupant, ac Æmonam uſque depopulantur.

An. 381. Concilium Aquileæ, quo 32. Epiſcopi convenerant 9. Sept. celebratur quo bini Ariani Epiſcopi & Valens Pſeudo Epiſcopus Petovien. damnantur.

An. 383. Maximus Romanæ militiæ Dux in Britannia â militibus Imperator acclamatur.

An. 388. Glorioſus hic annus Æmonæ urbi accidit, cum Theodoſius devicto Maximo Tyranno ad Savum prope Siſciam eundem fugitivum proſequens, illam triumphabandus ingreditur.

An. 394. Theodoſius Eugenio, & Arbogaſto in campo Vipacenſi poſt duorum dierum conflictum fuſo, ac penitus deleto Aquileam concedens ſolenni triumphantium more excipitur.

An. 400. Alaricus relictis Epiris, & Sirmio exercitu ſuo circuitu facto Æmonæ caſtra locat, tum per Alpes Julias & Noricas Italiam ingreſſus omnia latè vaſtat.

Gothi primum in Patriam migrant, & hic ſuam ſedem figunt.

An. 403. Alaricus à Romanis Duce Stilicone ad Rovenam victus fugam arripit.

An. 410. Novo collecto exercitu Alaricus ex Epiro, Pannonia, Japydia per Alpes Julias Romam iter adornat, quam duorum anno-

rum ſpatio bis cinctam, fame potius, quam ferro, diripit.

An. 420. moritur S. Hieronymus Eccl. Doctor 78. Die 30. Sept.

An. 424. Æötius Joanni Tyranno Hunnorum 60. Millia per Alpes Julias in auxilium deducit, omnia obſtacula rumpit & vaſtat.

An. 427. Gothi Hunnos è Pannonijs, quas 50. annos tenuerunt, magnâ eorum cæde editâ expellunt.

An. 433. Vandali in Hiſpanijs 20. Millia Romanorum cædunt.

An. 439. Carthago in Africa, à Romanis defenſa, Vandalis cedere cogitur.

An. 442. Hunni magnâ ſuorum colluvie Jllyricum, & Thracias aggrediuntur plurimas urbes, & oppida vaſtant.

An. 452. Attila Hunnorum Rex, Æmonam Coloniam florentiſſimam immani feritate obſidet, vi occupat, expilat, igne, ferroque omnia vaſtat & mœnia ſolo æquat.

An. 454. Budæ Sanguine in fauces erumpente ſuffocatur Attila.

An. 456. Æmona è ſuis ruderibus reſurgere & fidelium numerô augeri cæpit.

An. 458. OſtroGothi ſub Valamiro Pannoniam ſui juris faciunt, Hunnis in Scythiam pulſis.

An. 459. Alani, Collectis Hunnorum reliquijs,

quijs, Alpibus Julijs transgreſſis, Venetiæ fines aggrediuntur.

An. 461. Gothi Scyros & Suavos in campo Sursku Pule inter Locopolim, & Crainburgum aggrediuntur, cum ijs fortiter dimicant, ac tandem ſtragæ 10. Millium Suavorum reliquos à finibus ſuis arcent.

An. 469. Rugi cum Herulis in Pannoniam ſuperiorem irrumpunt, & Favianam urbem, hodie Viennam occupant.

An. 472. Gothi in Noricum excurrunt, Tiburniam, hodie Solium prope Clagenfurtum obſident.

An. 473. Widemirus Gothorum Rex relicta fratri Theodomiro inferiore Pannonia per Carſum, & Alpes Julias in Italiam migrat.

An. 476. Odoacer Rugorum Rex Noricas, & Julias Alpes tranſiens Italiam inſtar fulminis peragrat, ubi ſummam rerum conſecutus Ravennæ ſuam ſedem fixit.

An. 477. Gothi, & Hunni in Noricum, & Vindeliciam turmatim irrumpunt, & omnia cædibus implent.

An. 480. Vipacum Oppidum, cujus rudera hodiedum cernuntur à Theodorico dicto Valamer occupatur, & diruitnr.

An. 485. Præfuit Eccl. Æmonen. B. Gennadius: Zelo animarum lucri inſignis.

An. 486. Deletis in Pannonia & Norico Rugis Longobardi ſubintrant. An.

An. 487. Superior Pannonia, Valeria Savia, Japydia Oſtrogothis, Dalmatia Iſtria & Italia Herulis obtemperabant.

An. 489. Theodoricus Amalus contra Odoacrem cui Dalmatia, & Italia paruit per has regiones iter adornans ad amnem Sontiũ prope Gradiſçam caſtra locat, tum commiſſo prælio Odoacrem fugat.

An. 499. Noricum, Pannonia, Japydia & Iſtria pace fruuntur, & Æmona quam toties Scythicus turbo fœde proſtravit, novis ædificijs revireſcere cæpit.

An. 501. Bulgari ex Septentrione in Thraciam, ſubitâ belli irruptione movent.

An. 502. Theodoricus, pulſo Tranſatico regulô, Sirmium vi occupat.

An. 517. Ægida, hodie Juſtinopolis ab Iſtrianis reſtauratur, & novam formam civitatis induit.

An. 526. Longobardi Andovino Rege Superiorem Pannoniam Oſtrogothis profligatis occupant, Saviâ interim cum Japydia ſub Gothorum remanente Dominio.

An. 534. Carthago à Romanis Duce Beliſario capitur, ac ſic tertia pars orbis terrarum Romano Imperio poſt annos 105. reſtituitur.

An. 536. Juſtinianus, Duce Conſtantiano Debellatis Gothis, Dalmatiam, Japydiam & Iſtriam recuperat.

An. 541. Gothi reſumptis viribus Dalmatas Jllyrios & Italos aggrediuntur, & maritimas urbes deprædantur.

An. 542. Totila Aquileâ captâ & dirrutâ, Italiæ loca, villas, & urbes ſolo æquat.

An. 547. Idem Romam obſidet, & ingenti fame preſſam, dolo capit, & diripit.

An. 548. Slavini transmiſſo Danubio primum in Carnioliam, & has vicinas regiones irrumpunt, & migrant.

An. 551. Slavi Thraciam & Jllyricum percurrunt, & Romano Exercitu juxta Adrianopolim fuſo, Conſtantinopolim uſque provolvuntur.

# ÆTAS IV.

SEnium Urbis Æmonen. attigimus poſt bis mille ponè annorum intercapedinem idque tot iteratis malis, & incommodis preſſum, non tamen viribus deſtitutum : cum ſingulari ope Divinâ ad aliam devoluta ætatem denuò novam infantiam induere cæpit ſat floridam & robuſtam.

An. 553. Franci ope Ducum Bojorum Carniolium ſui juris faciunt.

An. 554. Narſes Juſtiniani Bellidux, his re-

gionibus opem laturus repulſis Francis, Æmonam munit, & novis adificijs reſtaurat.

An. 568. Longobardi Pannoniorum per 42. Annos incolini in Italiam migrant parte ſua per Liburniam, & parte altera per Alpes Julias in Venetam regionem digrediuntur.

An. 469. Paulinus Patriarcha Aquil. ad declinandam Longobardorum ſævitiam Gradum ſe contulit, & ibi ſuam ſedem fixit.

An. 569. Alboinus Longobardorum Rex Vincentiam, Veronam, & his vicinas civitates ſui juris facit & ſequenti anno Mediolanum ſubjugat.

An. 573. Giſulphus Dux Carnioliæ & Forojulio à Longobardis præficitur.

An. 575. Italia tota in Longobardorum poteſtatem venit.

An. 579. Narſes magnæ auctoritatis & facultatum, Giſulpho amicus, Æmonæ longo annorum tractu dimorans eandem auctam, ut Paſtore ſuo denuò provideatur, adornat.

An. 580. Hac tempeſtate Carniæ nomen Patriæ tributum, Japydiæ, & Norici nomini Romanô imperiô extinctô ſubſtitutum, late eadem, ab Adriatico mari, ultra Dravum patebat.

An. 581. Patritius Æmonen. Epiſcopus Synodo in inſula Gradi ab Helia Patriarcha celebrato intereſt.

An.

An. 590. Romam Longobardi diuturnâ fame preſſam diripiunt.

An. 591. Slavi ex Oceano Septentrionali oriundi primum ad ripam Iſtri, & Mœſiam, tum Dalmatiam, Carinthiam, & Carnioliam nec non vicinas regiones migrant ad Savum ſuam ſedem locant.

An. 593. Slavini cum Romanis reciproco penè fortunæ eventu in Thracia conflixêre.

An. 596. Ijdem Myſiam inferiorem depopulantur.

An. 598. Boij Slavos in Carantano, & Carniolia habitantes infeſtis armis aggrediuntur, à quibus cæſi ad internecionem delentur.

An. 600. Avares Conſtantinopolim uſque excurrunt.

An. 601. Cacanus Avarorum Rex à Romanis in Myſia profligatur.

An. 603. Longobardi, junctis Avaris, & Slavis Cremonam, & Mantuam occupant.

An. 612. Slavi in Boariam irrumpunt unde ægrè repelluntur.

An. 613. Carniolia maximas, ob diverſarum nationum tranſmigrationes, clades, & minas ſuſtinet.

An. 614. Cacanus, Giſulphum ducem primum Carniolíæ in foro julio pro Patriæ aris & focis decertantem, interficit & victoriam reportat.

An. 616. Taſo & Caco Giſulphi filij Digreſſis à Foro julio Avaribus, Patriæ regimen ſuſcipiunt.

An. 617. Ijdem dolo à Romanis interficiuntur, quibus ſubſtituitur Graſulphus.

An. 618. Cacanus rurſum Thracias pervagatur, & deprædatur.

An. 623. Moritur Juvaviæ in Norico S. Rupertus Norici Apoſtolus, cui Vitalis in Epiſcopali dignitate ſuccedit.

An. 634. Slavornm poteſtas, jam ſe latè in Styriam, Auſtriam, & Moraviam diffundit, Samone Duce.

An. 636 Slavi Thuringiam & Francorum terras depopulantur.

An. 640. Hâc tempeſtate Czechus, & Lechus è Croatia, ille in Bohemiam hic in Poloniam migrant, & novam gentem & regnum condunt.

An. 644. Slavi denuò Samone Duce Thuringiam vaſtant.

An. 658. Graſulpho fatis arrepto. Ago è civium numero delectus, regimen ſuſcipit.

An. 662. Moritur Samo Slavorum Dux à Victorijs & rebus præclare geſtis clarus.

An. 664. Avari cum Forojulienſibus, ad fluvium Frigidum triduanô conflictu, vario eventu decertant.

An. 688. Franci latè dominantur, & fines ſuos in Dalmatiam extendunt.

An. 706. Dalmatæ ad Æmonæ viciniam, quam Argaidus loci Præſes tuetur, excurrunt.

An. 723. Luitprandus Rex Longobard. Ravenam occupat.

An. 724. Boij, & Alemanni jugum Francorum excutiunt, ſed mox ad obſequium reducuntur.

An. 725. Saraceni in Franciam irrumpunt, omnia ferrô, & igne vaſtant: demum à Carolo Martello ingenti ſtrage opprimuntur.

An. 731. Hac tempeſtate huic noſtræ Regioni quæ partim à Germanis, partim à Vindis colebatur, Carnioliæ nomen tributum.

An. 735. Carnioli Longobardorum Dominium excutiunt, & magnam ejusdem gentis multitudinem delent.

An. 736. Fœdus cum Carantanis mutui auxilij ferendi ineunt.

An. 744. Hunni tertio irrumpunt in Pannoniam ſub ſeptem ducibus, qui in Tranſilvania ſeptem caſtris nomen dedère.

An. 746. Hunni Pannonià totà occupatâ in Carantanum movent. Unde ope Bojorum, & vicinorum mox depelluntur.

An. 747. Carnioli cum Carantanis ſe in tutellam Francorum committunt.

An.

An. 758. S. Virgilius Modeſtum in Carnioliam, & Carantanum, ob Barbarorum frequentes irruptiones harum incolas gentilitijs ritibus infectas, veræ fidei reducendas, mittit.

An. 763. Moritur Caliſtus Patr. Aquilejenſis qui Utini Patriarchalem ſedem ſtabilivit.

An. 772. Thaſſilo Bavariæ Dux. Carinthos & Carniolos, aſſumpto regis titulo, debellat, & in ſua verba jurare, adigit.

An. 773. Carolus magnus Romam à Longobardis obſeſſam, liberat.

An. 774. Ticino occupato Regem Deſiderium cum uxore capit. Quibus captis regnum Lombardorum quod 206. annis ſtetit, finem ſummit.

An. 778. Carantani Chriſtianorum Religionem amplectuntur.

An. 788. Avares in Bavariam uno exercitu, altero in Carnioliam, & Foro julium infeſtis armis irrumpunt, ſed utrobique victi, repelluntur.

Mauritius Epiſcopus Æmonen. ob irruptiones Barbarorum ad Civitatem novam ſe recipit, ibique Epiſcopalem ſedem locat.

Carolus Ratisbonæ, regno ſuo ad mare Adriaticum uſque protenſo, Duces conſtituit, & Carnioliæ, ac Forojulio Ericum præficit. Extenſo Dominio parte una uſque Celejam, parte altera in Liburniam.

An.

An. 791. Carolus ad Anaſſum fluvium Avares fugitivos victor proſequitur, & huic regioni abolito nomine Pannoniæ Auſtriæ nomen, inductis eo Bavaris & Vindis, ſubſtitutum.

An. 792. Varijs calamitatibus, Exundatiobus, fame, peſte, Carniolia Carinthia Iſtria & Forojulium, affliguntur.

An. 793. Inguon Carantanorum Dux memorabili invento Nobiles ad amplectendam Chriſtianam fidem movet.

An. 795. Hungaria Chriſti fidem primo amplectitur, Paulino Patriarchâ, rem promovente.

An. 796. Franci ingentibus copijs quibus Ericus noſtra arma junxit, in Pannoniam movent. Ringum urbem, ubi Hunnorum tot annis congeſta Spolia, & theſauri ſervabantur, diripiunt, qua capta, theſaurus Aquisgranum Regi Carolo mittitur.

An. 799. Ericus Dux Carnioliæ in Pannoniam exercitum deducit, cum Hunnis acriter dimicat, & partâ victoriâ opimus Spolijs revertitur.

An. 801. Carolus M. Occidentale Imperium in Germaniam transfert.

An. 803. Carolus Hungaros in Campo Sicambriæ ingenti clade notat, Budam expugnat, diruit, Martis, & Herculis delubra evertit, & Chriſtianam fidem plantat.

An.

An. 804. Francicum Imperium ad utramque Danubij ripam, imo ad Dravi, Savi, & Danubij confluentes propagatur.

An. 806. Carolus Imp. Venetos in fidem recipit, quos ſubſecuti Dalmatæ, quibus Præſides, ut horum ductu in fide retineantur, præfigit.

An. 811. Carolus Venetias Nicephoro Orientis Imperatori, pace ſic concluſâ, reſtituit.

B. Domitianus Dux Carinthiæ miraculis clarus piè in Domino Milleſtadij obijt.

An. 818. Catalocus Carnioliæ Dux. Lyndevitum, qui Slavis in Pannonia præfuit, ſibi ſubjectum, diſſidia ſeminantem compeſcit.

An. 819. Lindevitus fatis errepto Cadoloco Dalmatiam ferrô, & igne vaſtat, hinc Slavi pulſis Hunnis latè Dominantur.

An. 820. Carnioliam, & Carinthiam pervadit, undè mox recedere cogitur.

An. 821. Ludovicus Imp. Pannoniam Saviam vaſtat.

An. 827. Bulgari Slavos in Pannonia Savia aggrediuntur, & univerſam regionem hoſtilibus armis vaſtant.

An. 828. Franci Brynonem Carnioliæ, Caranti, & Marchiæ Vindorum Comitem aut Principem conſtituunt.

An. 837. Hoc tempore in Carniolia religio-

gionis Catholicæ zelus, & paſſim erectis Eccleſiijs cultus Divinus augetur.

An. 840. Bryno Celejam, Petovium, & Monsburgum, adverſus finitimorum irruptiones, munit.

Lotharius Tergeſtum Joanni Epiſcopo Tergeſtino cum omni territorio ad tria milliaria donat.

An. 841. Fit diviſio Imperij inter Carolum & Lotharium, quo inter reliqua Forojulium Italiæ, & Carniolia Germaniæ adſcribitur.

An. 857. In Norico, Carinthiæ, & Carniolia quieta omnia.

An. 850. Religio Chriſtiana ab Oſwaldo Epiſ. Æmonenſi, inter tot perſecutiones, mirum Conſervatur.

An. 855. Carolomanus Dux Carniolorum junctis Carantanis, & Bavaris magnam partem Moraviæ vaſtat.

An. 864. Ludovicus Bavarus, junctis Carinthis & Carniolis Raſticem Moraviæ ducem in feſtit armis conprimit, & veniam precanti indulget.

An. 868. Cyrillus, & Methodius Slavorum Apoſtoli Chriſtianos ob fidem perſecutos, & latibula quærentes in fide continent.

An. 869. Bohemi cum Moravis Bavariam incurſant, à quibus Carolomanus dux noſter trinas reportavit victorias.

Caro-

Carolomanus Superiorem Pannoniam debellat, & ſui juris facit.

An. 871. Ludovicus Imp. Debellatis Saracenis Barium in Apulia occupat.

An. 878. Carolomanus, Arnulphum filium ſuum ex Lytobinda nobili Carna progenitum Carniolis, & Carinthis ducem præficit.

An. 881. Methodius Pannoniorum, & Moraviæ Apoſtolus privilegium miſſas Slavo idiomate canendi à Joanne. 8. Pont. obtinet.

An. 889. Hungari è Scythia egreſſi Hunnos, & Salvos è Pannoniâ eijciunt.

An. 839. Hungari in Carnioliam, Bavariæ Regno Subjectam, irrumpunt, & Forojulium vaſtant, unde accedentibus undique auxilijs magna eorum clade mox repelluntur.

An. 900. Ijdem Æmonam ingentibus Copijs Subitâ irruptione infeſtant, & latè Cædibus omnia implentes, per Alpes Julias in Italiam prorumpunt, Patavium, & Lombardiæ regiones ferro, & igne depopulantur.

An 901. Hungari rurſus in Italiam per Carnioliam irruunt, Tarviſium, Vincentiam, & Patavium diripiunt.

An. 903. Carniam, & Italiam tertium aggrediuntur Hungari, Terviſiana regione vaſtata, Rivum altum Venetijs tentant, unde à Venetis, poſt iteratas dimicationes, repelluntur.

An.

An. 907. In Auſtriam, dictam Bavariam irrumpunt: poſt vaſtata Anaſſi confinia latè ferocitate ſua debachantur.

An. 908. Alemañiam, Franconiam & Saxoniam igne, gladiô, excidiô, & immani feritate implent.

An. 917. Alſatiam & Lotharingiam invadunt.

An. 920. Iſtriani Venetorum confinia longè, latèque hoſtili direptione vaſtant.

An. 923. Tergeſtini Venetijs puellas plurimas pretioſis gemmis, & monilibus exornatas, ad celebrandas nuptias regreſſas ſtructis inſidijs rapiunt, & navibus illatas abducunt.

An. 929. Henricus Cæſar Dalmatiam ſubjugat, & Romano Imperio tributariam efficit.

An. 934. Hungari ingenti multitudine in Saxonia Henricum regem aggrediuntur, à quo inaudita clade profligantur.

An. 937. Germaniam Galliam, & Italiam ac penè mediam Europam depopulantur, ex Italia per Carnioliam reverſi terribili ſtrage, & rapinis graſſantur.

An. 944. Hungari, cum Carniolis Carantanis, & Bavaris junctis in campo Labacenſi, congreſſi, penè omnes ad unum trucidantur, aut in captivitatem deducuntur.

An. 949. Joannes Tergeſtin. Epiſ. Dominium civitatis comunitati Tergeſtinæ vendit.

An. 955. Hungari indicibili copiâ Auguſtam uſquè progrediuntur, & obſidione cingunt, quos Otto Imp. ſuo minori licet exercitu ad Lycum fluvium audaci animo & mirâ felicitate ſuperavit, & miſerabili ſtrage delevit.

An. 961. Otto Rex Romam exercitu ſuo ſtipatus iter adornans Labacum tranſit, tùm trajectis Alpibus julijs Ticinô occupatô Berengarium contra molientem retrocedere cogit.

An. 965. Poloni Chriſtianorum fidem amplectuntur.

An. 972. Otto I. Imp. Marchiones limitaneos per Germaniam ordinat, & Creinæ Marchæ Cunonem præficit. Unde Marchio Crainburgenſis dictus, qui Regiam ſuam in caſtro Görtshach fixit.

An. 974. Otto II. Abrahamo Friſingenſi Epiſcopo Locopolim cum toto territorio dono dedit.

An. 978. Styria fit Marchionatus.

An. 983. Rodoaldus Patriarcha Aquilejenſis Utinenſis Civitatis dominium ab Ottone II. obtinet.

An 984. Hungari Auſtriam cæde, rapinis, & igne nefariè vaſtant.

An. 988. Obijt Leopoldus primus Marchio Auſtriæ.

An.

An. 990. Hungaria Chriſtianam Religionem amplectitur.

An. 992. Pace fruitur univerſa Carniolia cum limitaneis regionibus.

An. 995. Croatiæ Ducatus Regis titulum aſſumit, & Dircilaus Dux Rex Croatiæ à ſuis proclamatur.

An. 996. Otto II. Imp. ſeptem Electores Imperij conſtituit.

Joanni III. Patriarchæ Aquilejenſi. ſex Epiſcopatus, Concordienſis, Utinenſis, Novæ Civitatis Iſtriæ, Ruginenſis, Petinenſis, & Terſatenſis ab Ottone ſubjiciuntur.

An. 997. Veneti Iſtriam in expeditione Navali, pro Narentinis contra Croatas, ſuſceptà ſibi primò appropriant, & majorem partem Dalmatiæ occupant.

## An. 1000.

A. 1001. S. Stephanus primus Rex Hungariæ Eccleſias Strigonienſem, & Colocenſem fundat.

An. 1004. Henricus Imp. S. Alboino Epiſ. Brixinenſi dominium Feldes in Superiori Carniolia dono dedit.

An. 1006. Labaci lue graſſante 12000. incolarum dolendùm pereunt.

An. 1016. In bellica expeditione Popponis

Patriarchæ Aquilejen. contra Longobardos Odoricus ab Auersberg invicti animi heros ſtrenuam navat operam.

An. 1018. Valcoldus Goritiæ comes ad Braunecam Tyrolis monaſterium Monialium Ord. S. Benedicti fundat.

An. 1028. Hungari ad has regiones inopinatô impetu irrumpentes, ſine mora vicinis ad auxilium vocatis, & affluentibus terribili ſtrage à Patriæ finibus averuncantur.

An. 1031 Baſilica Aquilejen. honori Divæ Virginis Mariæ, & SS. Hermagoræ, & Fortunati noviter exſtructa, ſolenni ritu dedicationis feſtivitatem ſubit.

An. 1041. Orphanotrophium Labaci à Mercatore quodam fundatur, quod temporum viciſſitudine abolevit.

An. 1047: Hyeroſolimam peregrinantium Labacenſium manipulus à Barbaris cæditur, aut in ſervitutem ducitur.

An. 1050. Patriarchatus Gradenſis translatus eſt Venetias.

An. 1062. Carnioli juncti Carinthis Dalmatiam infeſtis armis aggrediuntur, & opimis Spolijs onuſti revertuntur.

An. 1065. Salomon Hungariæ Rex pius regnô privatus in ſolitudinem ſe recepit, ubi poſt aſperam exactam vitam mortuus. Polæ tandem in Iſtria ſepelitur.

An.

An. 1073. Templum D. Philippi Ap. nunc Virginis Aſſumptæ Labaci excitatur.

An. 1080. S. Ladislaus Rex Hungariæ Dalmatiam, & Croatiam regno Hungariæ adjecit.

An. 1096. Hyeroſolima Duce Godefrido Bullonio à Chriſtianis recipitur.

An. 1097. Solennes Ludi navales ſuper fluvium Labacum æſtate inſtituti, copioſos ſpectantium oculos feſtivali lætitiâ replêrunt.

An. 1103. Henricus Marchionatûs Crainburgenſis faſcibus admotus fuit.

An. 1115. Henricus 5. Imp. validô exercitu Labacum tranſijt, & Alpibus Julijs trajectis ſubactâ Longobardiâ Romam magnâ ſolennitate delatus à Paſchale II. Pont. coronatut.

An. 1120. Engelbertus comitum Andacenſium ſtirpe oriundus Marchio Crainburgenſis ſalutatur.

An. 1131. Lotharius Longobardiam ſuum imperium detractantem denuò armis victor aſſeruit.

An. 1133. Celeberrimum Sitticenſe Monaſterium Ord. Ciſtercienſium; quod quarto lapide Labaco removetur, conditur.

Anno 1134. Peregrinus Patriarcha Aquilejen: proventus majores ei adjecit.

An. 1140. Diepoldus de Chagere cum Truta conjuge ſua Monaſterium Oberburgenſe Ord. S. Bened. fundat.

An.

An. 1143. Bertoldus ſecundus, Marchio Crainburgenſ. datur. Hungari infeſto agmine in Styriam ruunt, & omnia cædibus, ac rapinis implent.

An. 1143. Wilhelmus germanus Marchionis Bertholdi Labaci ſolennes ludos equeſtres inſtituit.

An. 1155. Urſina familia ex Nobiliſſimis, & Antiquiſſimis Romanarum per Nicollotum Urſinum Romanum in Carnioliam transplantatur, quæ etiamnum binô ſtemmate viget.

An. 1156. Hermanus Marchio Crainburg. dominium Höfflein Monaſterio ad S. Victoriam in Carinthia adſcripſit.

An. 1158. Soleñes nuptiæ inter Nicoletum Urſinum, & Guttam Hermani Marchionis Crainburgenſ. filiam celebrantur.

An. 1162. Corpora Ss. Trium Regum Mediolanô Coloniam transferuntur.

An. 1165. Engelbertus Marchio Crainburgenſis univerſæ Carnioliæ maximâ poteſtate dominatur.

An. 1167. Templarij Labaci eò locorum ubi modò comenda ord. Equitum Teutho: ſedem figunt.

An. 1173. Hermanus Engelberti filius eô è vivis ſublatô in Marchionatu Crainb. hæreditario jure ſuccedit.

An. 1186. Abundantia frugum, Tritici & Vini in univerſa patria. An.

An. 1190. Labacus fluvius, poſt frequentes pluvias adeò excrevit, ut omnia penè compita civitatis inundaverit.

An. 1200. Moritur Hermanus Marchio Crainburg. in cujus vices ſubintrat Henricus ſecundus filius ejuſdem.

An. 1203. Conſtantinopolis à Francis, & Venetis intra Octiduum capitur.

An. 1208. S. Franc. Seraphicus fundat Ordinem Franciſcanorum.

An. 1213. Synagoga à Judæis Labaci funditùs reſtauratur.

An. 1215. S. Dominicus inchoat Ord. Prædicatorum.

Eôdem annô cæpit in Ungaria Ordo Religioſorum S. Pauli primi eremitæ.

An. 1222. Fridericus Imp. totâ Germaniâ milites conſcribit ad ſacram expeditionem exercitu cruce ſignatô.

An. 1230. Epidemiæ lues per univerſam Carnioliam, & Forojulium graſſatur.

An. 1231. Vetuſtiſſimum Carniolīæ DEIparæ Sacrarium in Dobrava ſeſqui ab urbe Labaco lapide diſſitum, ab hoc anno natales ſuos recolit, quod alij ab An. 970. reponunt, ad quod, veluti ad cœleſtium gratiarum emporium vicini populi, miraculorum famâ acciti, certatim confluunt.

Bertholdus 3. Marchio Crainburgen. Patre humanis ereptô, homagium ſuſcipit.

An. 1233. Patres Conventuales S. Franciſci ipſo S. Antonio inſtante Labacum introducuntur, in quorum vices Obſervantes, ac demùm Reformati ſubintrant.

An. 1237. Copia frugum & abundantia rerum.

An. 1239. Flagellantium Pſeudo-Ordo ex Helvetia ad has regiones migrans, Labacô ultrò recedere cogitur.

An. 1245. Obijt Bertoldus Marchio Crainburgen. abſque prole, quô fatis ereptô Marchionum Crainburgenſium aviti ſanguinis familia extinguitur.

Sub auſpicijs Friderici 2. Imp. Carniolia è Marchionatu fit Ducatus.

An. 1248. Conditur celebre Monaſterium B. Mariæ ad Fontes propè Landſtras Ord. Ciſtercienſium.

An. 1256. Fluctuat Germania ſine capite.

An. 1257. Monaſterium Sancti Monialium in Müchelſteten propè Crainburgum Ord. S. Dominici ad hunc annum originem ſuam reponit.

Moritur Bernardus Dux Carinthiæ Fundator Monaſterij in Landſtraſs; ubi cum Guta conjuge ſua requieſcit.

An. 1261. Rudelinus à Pierbaum Dynaſta fit

ſit primus Capitaneus univerſæ Carnioliæ.

An. 1269. Ottocarus Rex Labacenſem urbem hoſtilibus armis occupat, & intercipit.

An. 1273. Rudolphus primus in Romanorum Imperatorem eligitur.

An. 1276. Inundationes in Carſtia, & Forojulio, magna damna cauſarunt.

An. 1279. Rudolphus Imp. has Regiones Styriam, Carinthiam, & Carnioliam ad mare Adriaticum uſquè luſtrat.

An. 1290. Tumultus Chriſtianos inter, & Hæbreos, ob quandam per inſidias raptam prolem exarſit, quibus cæde multorum facinus penſatum eſt.

An. 1291. Sacra Domus, in qua Beatiſſima Virgo ab Angelo Salutata, & Verbum Caro factum è Galilæa, Terſatum in Liburnia 9. Maij, magno harum Regionum ſolatio translata fuit.

An. 1292. Templum D. Virginis Auxiliatricis, Commendæ Teuthonicæ Equitum, Ordinis Gothici Labaci ædificatur.

An. 1295. In faſtis Labacenſibus duo Judices primi civitatis Ulricus N. & Joannes Franck referuntur.

An. 1300. Conditur ab Jlluſtriſſima Proſapia Comitum, & Dominorum à Gallenberg nobile Parthænium Ordinis S. Claræ in Münkendorff.

An. 1305. Templarij, quos abundantia vitiorum mater deperdidit, undiq; extirpantur.

An. 1309. Stephanus à Madruz Dynaſta Ducatûs Carnioliæ gubernium inijt.

An. 1311. Hâc tempeſtate Longobardi plerique ex Præfectis ſibi Dominos legerunt. Hinc Verona Maſtinos, Vincentia Scaligeros, Mantua Gonzagas, Ferraria Eſtenſes & Batavium Cararienſes aſſumpſit.

An. 1312. Patriæ noſtræ, & vicinis regionibus penuriâ Annonæ laborantibus triticô è Sicilia advectô, ſuccurritur.

An. 1313. Templarijs extinctis Labaci Equitum Teuthonicorum Ordo horum ſedem occupat, & ſubintrat.

An. 1324. Henricus Rex Bohemiæ, Dux Carnioliæ, Privilegia, & jura municipalia Magiſtratûs Labacenſis confirmat.

An. 1325. Sacrarium DEIparæ in campo, tertio lapide ab urbe Labacenſi remotum, excitatur.

An. 1332. Virida Vice-Comes, Barnabæ Vice-Comitis, Principis Mediolanen. filia, Leopoldi Probi uxor, Erneſti Ferrei mater, Nobiliſſimarum virtutum heroina, celeberrimum Sitticenſe Ciſtercien. Monaſterium dotat.

An. 1339. Hôc annô, quô Fridericus à Sonnek in comitem evehitur, Cileæ comitis Dominium initium ſumpſit, qui dein centum annis comitatum gubernabant. An,

An. 1341. Nicol. Patriarcha Aquilejen. Mitterburgum infeſtans à Conrado de Kraigd Capit. Carniol. reprimitur.

An. 1343. Eliſabetha Regina Hungariæ Neapolim iter adornans, Labacum magno comitatu tranſit, inde Tergeſti navi conſcenſâ Venetias, ac demùm Romam attigit

An. 1345. Eccleſia S. Eliſabethæ, cum Xenodochio civico Labaci ædificatur, & fundatur.

An. 1351. Monaſterium Sanctimonialium Ordinis S. Claræ Locopoli natales ſuos ad hunc annum refert.

An. 1360. Veneti in Marcham Treviſanam infeſtis armis irruunt, quos Carantani junctis Carniolis acie ſuperāt & opima ſpolia reportāt.

An. 1361. Dies 25. Junij luctuoſa accidit Labaco, cum in domo Sigefridi Gall vice Domini nocturno tempore exortô incendiô magna ejus pars conflagravit.

An. 1363. Templum SS. Clementis, & Fridolini in ripa erigitur, & fundatur.

An. 1364. Carniolia ad Auguſtam Domum Auſtriacam devolvitur.

An. 1373. Primâ Auguſti exortô caſu incendiô notabilis pars urbis in cineres abijt.

An. 1374. Marcha Sclavoniæ, Iſtria, & Möttlinga Ducatui Carnioliæ incorporatur Leopoldus, & Albertus fratres Duces Auſtriæ Labaci homagium ſuſcipiunt, & Privilegia Urbis confirmant.

An. 1380. Leonardus Epiſcopus Friſingenſis Locopoli moram gerens, cum quodam die genij relaxandi causà equitatum inſtituit, pontem Civitatis tranſiens: equô agitatô dejicitur, & aquis mergitur in Parochiali æde tumulatus,

An. 1382. Labacum ab aqua, & igne damna tulit: Nauportus exundans molendina peſſundat, ignis domorum miſerabilem ſtragem facit.

Eandem calamitatem ſubit Monaſterium Vallis jocoſæ Carthuſianorum.

An. 1383. Tergeſtum ſe Dominio Veneto eximit, & ſub tutelam Auguſtæ Domûs Auſtriacæ comittit, cui Hugo Tybeinen. Dynaſta Carniol. præficitur.

An. 1385. Templum Divi Petri, extra muros, veteri Ordinis Gothici ſtructurâ, ædificatum.

An. 1487. Abundantia frugum harum regionum incolas exhileravit.

An. 1391. Jlluſtris Dynaſta Leopoldus Gonowizer fundat monaſterium Pleteriach ord. Carthuſianorum.

An. 1393. Turcæ omnium primò in Hungariam Sirmium uſquè irrumpunt.

An. 1397. Wilhelmus Archidux Auſtriæ Labacum inviſiſſe fertur.

An. 1400. Inventa eſt ars Typographica in Germania, Moguntiæ. An.

An. 1401. Sigiſmundo Hungariæ, & Bohemiæ Regi Barbara à Patre ſuo Hermano comite Cilliæ, Carnioliæ Capitaneo in Matrimonium elocatur.

An. 1402. Albertus Cæſar ad coronationem ſuſcipiendam Romam iter adornat, quem comitandum magna copia Nobilium, Auſtriæ, Styr. Carinth. & Carnioliæ confluit.

An. 1404. Veneti Utinum Forojulij Civitatem amplam deditione capiunt.

An. 1407. Hermanus Comes Cilleæ dotat Monaſt. Carthuſianorum in Pleteriach infer. Carniol.

Idem Templum S. Martini extra urbem ædificat.

An. 1408. Thomas Mocenigo Dux Venetorum Labacenſes Diplomate Fundici Germanorum Privilegio participes reddit, & liberam negotiationem Venetijs tribuit.

An. 1411. Sigiſmundo Romano-Germanici Imperij faſces adipiſcente conjux Barbara præfati Capitanei noſtri filia, Auguſta Salutatur.

An. 1413. Hôc annô Conradus Epiſcopus Friſingen. Locopoli dimorans à ſuo quôdam Officiali Bavariâ oriundo, interficitur, ac in Paræciali Eccleſia S. Georgij ibidem Sepelitur.

An. 1414. Ulricus Schengk Dynaſta Carnioliæ

liæ Supremum Capitaneatûs munus aggreditur.

ErneſtusArchidux Auſtriæ, Labaci dimorans PrivilegiaMonaſt. Vallis jocoſæ confirmat.

An. 1415. Labacum ad portam Clauſtralem propagatur.

An. 1416. Turcæ Billigræcium usquè prædabundâ manu excurrunt.

Ab Erneſto Archiduce diploma datum, quô omnibus incolis ad inſtaurationem mænium auxilium præſtare, & concurrere injungitur.

An. 1418. Erneſtus Archidux Auſtriæ Privilegium pro Studioſa juventute ad Baſilicam S. Nicolai Scholas publicas, Senatui Labacenſi, erigendi tribuit.

GodefridusRauber contraTurcas in finibus Styriæ dimicans glorioſam Subit mortem.

An. 1421. Erneſtus Archidux Labaci dimorans litem Auerſpergios Dynaſtas inter, & Magiſtratum civicum Labacenſ. ob quoſdam colles, & ſiluas, circa Iggium Oppidum, Labaci vicinum, partibus auditis amicè compoſuit.

An. 1425. Ordo Antiquiſſimus S. Auguſtini Eremit. Labaci Suſcipitur, cujus Sacri Ordinis Religioſi liberi, & exempti, tractu temporis ter ſuam ſedem mutârunt, ac tandem eò locorum, Ubi modò morantur aquiescunt.

An.

An. 1430. Philippus Dux Burgundiæ Brugis in honorem S. Andreæ inſtituit Ordinem Velleris aurei, in memoriam Velleris à Jaſone heroe inclyto, & Argonautis Colchis reportato.

Turcæ magnâ ſuorum Colluvie inferiorem Carniolam invadunt, Möttlingam occupant, ſed ad Rudolphswertham à noſtris Duce Ulrico Schenk Capitaneo Carnioliæ, & Stephano à Montfort Carinthiæ pariter Capitaneo cæſi, & caſtris omnibus exuti in fugam conijciuntur.

An. 1432. Odæum Deiparæ miraculis clarum in monte Cetio, vulgò Calenberg ab hoc anno originem ſuam deducit.

An. 1434. Mira hôc annô Labaci, & per Univerſam Carnioliam frugum fertilitas.

An. 1435. Friderici comitis Cileæ Anteſignanus Joannes Witoviz triſtem Belli faciem in Carniolia circumtulit, & varijs Caſtris potitur.

An. 1436. Laaſium à Chriſtophoro Fladnizero incaſsùm obſidetur.

An. 1439. Labacenſes initô Conſiliô cùm popularibus Iſtriam Venetis adhærentem adoriuntur, & latè depopulantur.

Hn. 1440. Labacum ab Alberto Archi Duce Auſtriæ, & Udalrico Cilienſe Comite menſe Junio arctâ Obſidione Cingitur, in

Vigi-

Vigilia S. Joannis autem rurſus Ab oppidanis, & Submiſſo ex Auſtria milite, Profligatis, caſtra cùm Reliquo bellico apparatu, in prædum relinquere, ac retrocedere coguntur.

An. 1441. Hôc annô antiquus mos Patideng ſeu ut alij volunt Pact-Geding, nuncupatus, introducitur, eâ lege quotannis primâ Dominicâ Octobris ſub horam octavam veſpertinam, poſt pulſum campanæ horologiariæ in arce, Judici Urbano, cenſum unius cruciger de domo annuatim pendere, pœnâ in intermittentes unius aurei conſtitutâ.

An. 1442. Frid. Imp. ob tot beneficia ſibi fideliter præſtita, Labacenſibus hoc ſpeciale privilegium tribuit, cerâ rubrâ ſigillandi, &c.

An. 1444. Fridericus Imp. luſtratis Helvetiæ urbibus, redux Labaci omni decore exceptus immunitates civitatis confirmat. Idem omnia privilegia Monaſterio Oſſiacenſi. Ord. S. Bened. in Carinthia ratihabet.

An. 1446. Fit ingens apparatus bellicus ex popularibus Styriæ, Carinth. & Carniol. juſſu Friderici Cæſaris ad tutandos fines Styriæ, adverſus Corvinum.

An. 1448. Diploma à Friderico Rege Rom. datum quo omnibus Dynaſtis, & dominiorum poſſeſſoribus injungitur, ut ſubditos ad mœnia Labaci reſtauranda adſtringant, & ſiſtant.

An.

An. 1449. Fundatur Eccleſia Ss. Clementis, & Fridolini in ripa.

An. 1451. Fridericus Imp. Romam ad capeſſandam coronam iter adornans Labaci omni debito decore ſuſcipitur.

An. 1453. Conſtantinopolis à Turcis capta & direpta 4000. Chriſtianis trucidatis. 60. millibus captivis factis.

An. 1454. Fatis ereptô Fridericô Comite Cileæ ad Ulricum devolvitur comitatus Cileæ.

An. 1455. Variæ turbationes tam in Auſtria, quam Hungaria ab Ulrico exoriuntur.

An. 1456. Ulricus Comes Cileæ ab Ungaris dolosè trucidatur, ob quod enorme factum Ladiſ. Huniades Budæ capite plectitur.

An. 1457. Fridericus Cæſar Cileam recipit. ubi ab Ulrici comitis Cileæ vidua Duce ſuo Withovizio arcta obſidione cingitur, ac penè ad deditionem redigitur, ſed mox Carniolis Cæſari ſuppetias ferentibus hoſtis in fugam conjicitur.

An. 1460. Epiſcopatus Labacenſis à Friderico IV. Imperatore reſtauratur, & novis ditionibus fundatur, nulli Archi-Epiſcopo, ſed ſedi Apoſtolicæ immediatè ſubjicitur.

Antiquiſſima Congregatio Sanctiſſ. Corporis Chriſti Labaci inſtituitur, & Romanæ Archi-Confraternitati S. Laurentij in Damaſo omnium primæ, incorporatur.

An. 1462. Friderico Imp. Viennæ à civibus obſeſſo, Styri, Carinthi, & Carnioli ſuppetias ferunt.

An. 1464. Boſniæ Regnum à Turcis occupatur.

An. 1466. Fridericus Imp. Epiſcopatum Vienn. erigit, & fundat, nulli Archi Epiſ. ſubjectum.

An. 1469. Luctuoſus hic annus univerſæ Carnioliæ accidit, quô primùm Turcarum 10000. colluvies Labacum usquè irrupit, quod pro virili defenſum, hoſtes in rabiem egit, ut reduces popularibus cæſis, aut in captivitatem ductis immaniter graſſati fuerint.

An. 1470. Epiſcopatus Neoſtadienſis in Auſtria à Friderico Imp. erigitur, & noviter fundatur.

An. 1472. Labacum à Turcis arcta obſidione cinctum ſtrenuè âb incolis defenditur, unde aggreſſores infectâ re diſcedere coguntnr.

An. 1473. Turcæ in Carinthiam irruunt, & Clagenfurtum usquè depopulantur.

An. 1475. Turcæ in has regiones tertiò irruunt, & conſertis armis noſtros profligant, & in aſperam captivitatem abducunt.

An. 1476. Ijdem denuò Carnioliam infeſtis armis depopulantur.

An. 1477. Friderici Cæſaris Diploma hôc annô civibus datum, inſertô privilegiô telonium

nium in ponte inferiori pro vectigali recipiendô, conſtituendi.

An. 1478. Ab eôdem privilegiô donantur, quòd quemcunque in numerum civiũ adoptaverint, ſuis dominis ſiſtere non teneantur.

An. 1479. Civitas obtinet âb eôdem Friderico Rom. Imperatore privilegium die Foſto S. Eliſabethæ ultrà binas prævìè obtentas nundinas, ſolenne forum aperire, ad quod hodiedùm mercatus ex Italia, Forojulio, Germania, Styria Carinthia & Croatia confluit.

An. 1480. Ne in Carnioliam ultrà Cirknitium progrederentur, prohibet Turcas fortiſſimus Andreas Gall, vim vi repellens.

An. 1481. Hungari occupatâ arce Klingenfels agrum Labacenſem infeſtant.

An. 1484. Turcæ in Carinthiam usquè ad S. Vitum denuò irruunt, unde reduces à Carniolis, & Croatis ad unum cæduntur, & captivi libertate donantur.

An. 1485. Matthias Rex Hungariæ Viennam cæpit, & quinqueniô poſſedit.

An. 1488. Diploma à Friderico Imperat. Magiſtratui Lab. datum, quô ſolis civibus omne negotiationis genus exercere poteſtas tribuitur, & ijs educilatio vini indulgetur.

Moritur Sigiſmundus I. Ep. Labac. Reſtaurati à Frid. III. Imp. Epiſcopatûs, admirandâ vitæ innocentiâ, & pietate clarus. Cum fama ſanctitatis.

An. 1490. Matthias Hung. Rex Viennæ apoplexiâ tactus moritur, & Maximilianus Viennam recipit.

An. 1492. Turcæ ſecundò ſubitâ irruptione Labacum usquè excurrunt ac 10. millibus civitatem obſidione cingunt, verùm civibus infractô animô diu, noctuque pro aris & focis advigilantibus, & ſtrenuè ſe defendentibus, infectâ re retrocedere coguntur.

An. 1493. Contigit omnium maximum urbis noſtræ incendium, quô potior ejus pars cum 19. perſonarum utriusque ſexûs ſtrage abſumpta eſt. Adeò mortalium felicitas lubricô ſtat locô, ut quæ diuturno labore, & ſolicitudine parata fuêre, paucis ſæpè horis corruant & peſſundentur.

An. 1494. Diploma â Maxim. Imp. datum quô omnia privilegia Magiſtratûs confirmátur

An. 1495. Labacenſes, & Crainburgenſes Aquisgrani in Eccl. B. Mariæ Virginis Alti Monaſterij Beneficium ſimplex fundant, reſervatô jure præſentationis.

An. 1496. Turcæ à finibus Patriæ averuncantur, egregiam operam ad id conferente Hermano Rauber heroe inclyto.

An. 1497. Eccleſia S. Chriſtophori extra Labacum ædificatur, quam noſtrâ tempeſtate Joannes Maria Menegalia ſenator Labacen. œconomus ejusdem, elegantiùs reſtauravit.

Idrien-

Idrienſes mercurij fodinæ à quôdam ruſticô inventæ, quibus pares vix in tota Europa repereris.

An. 1500. Naſcitur Gandavij in Belgio Carolus V. Rom. Imp. Heroicis geſtis magnus, & Auſtriacæ Monarchiæ propagator maximus. Plures hôc ævô in Patria turres, quos Tabor nuncupant, inſtar arcium munitæ, quæ agreſtibus refugium contra irruptiones Turcarum præbuêre.

An. 1501. Belli, Cæſarem Maximilianum inter, & Venetos, initium ſumptum.

Maximil. tribuit privilegium civitati Labac. ad arbitrium proprium molendinum Labaci condendi.

An. 1503. Joannes Auersbergius Dynaſta ad Præfecturam ducatûs Carnioliæ univerſæ admovetur.

Georgio Egker Vicedomino à Cæſare committitur Labacum muniri.

An. 1504. S.P.Q.L. Jus conſulem ſibi eligendi obtinet, quod à Wilhelmo âb Auersberg Mareſchalo Provinciæ Senatui in curia congregato oretenùs coram intimatur.

An. 1505. Bellum contrà Venetos incrudeſcit.

An. 1506. Hyemem calidam ſubſecutum ver frigidum penuriam frugum in patria cauſavit.

Hôc annô fabricæ Baſilicæ S. Petri in Vaticano Romæ, ad idæam Bramantis Architecti clari, initium datum.

An. 1507. Incendiarij in Carnioliam, & Carinthiam à Venetis miſſi deprehenduntur & vitâ mulctantur.

An. 1508. Labacum ingenti terræ motu concutitur.

Goritia à Venetis occupatur.

Vipacum inopinô aſſaltu ab ijsdem intercipitur.

An. 1509. Tergeſtum ſe in tutelam Auguſtiſſimæ Domûs Auſtriacæ committit.

Goritia à Cæſareanis denuò recuperatur, noſtri in Forojulium irrumpunt, & copioſas inde prædas reportant.

An. 1510. Labacenſis Magiſtratus à Maximiliano Imperatore maximis Privilegijs & immunitatibus donatur, ſpeciatim omnibus circuitoribus alienigenis, qui jure municipali non gaudent, omne negotiationis comercium interdicendi.

Ne ullus quidpiam glebæ è communi urbis territoriô propriô motu ſibi appropriet. &c. Specialibus Privilegijs accumulat Epiſcopatū Labacenſem à Patre ſuo fundatum.

An. 1511. Vehemens terræmotus damnificavit Carn. dominia Auersberg, Hasberg, Guttenberg, Feldes, & Billichgraz.

An.

An. 1511. Georgius L. B. ab Egk. Viced. Carn. à Maximiliano Cæſare hinc Goritiam ad homagium recipiendum, & Privilegia, confirmanda, ablegatur. Eidem, una cum Petro Ep. Tergeſt. Chriſtoph. Com. à Frangepan Capit. Adelſperg, Georgio à Turn, Bernardino à Raunach &c. committitur finium Patriæ Hiſtriæ, Karſtiæ & Forojulij, viſitatio.

Invictus heros Joann. Apfaltrer, Gradiſcam à Venetis obſeſſam ſtrenuè tuetur.

An. 1512. Chriſtophorus Princeps Epiſcop. Labacen. è domô Rauberiana Palatium Epiſ. Labaci reſtaurat.

An. 1513. Indultum ſolis civibus omne negotiationis genus ad libitum exercendi, & omnibus, qui civitatis juribus non gaudent, id interdicendi, Privilegium.

An. 1514. Copiæ auxiliares, à Cæſare Neapolim Regi miſſæ, Labacum tranſeunt.

An. 1515. Judæi Labacô pelluntur, à quibus platea in novo foro, ubi morabantur hodiedùm nomen ſervat.

An. 1515. Ruſticorum ſeditio contrà ſuos Dominos invaluit, quos è proprijs dominijs violentâ manu detrudunt, nonullos mulctant horum bona deprædantes, donec tandem victi undiquè trucidentur.

An. 1516. Maximilianus I. Imp. mittit Chri-

ſtophorum Epiſ. Labac. ſuô nomine ad comitia in Hungariam.

An. 1517. Ordo Nobilium Equitum S. Chriſtophori, à majori nobilitate Carnioliæ, Styriæ, & Carinthiæ inſtituitur.

An. 1519. Fortalitium rotundum ante portam clauſtralem à fundamentis ſtructum.

An. 1520. Turris cum munimento extra Eccleſiam S. Fridolini ædificari cæpta.

An. 1521. Ferdinandus Imp. privilegia urbis confirmat.

An. 1522. Turcæ in inferiorem Carnioliam & indè in Carſtiam uſquè irrumpunt, ac omnia obvia vaſtant.

An. eôdem Ferdinandus I. Archidux Auſtriæ mittit in Carinthiam Commiſſarios Chriſtophorum Epiſ. Labac. Chriſtoph. de Zinzendorff, & Wolff. Matſeber ad recipiendum homagium, & petendum ſubſidium contrà Turcas.

An. 1523. Munimentum rotundum Cracovium ſuburbium versùs ſtructum.

An. 1524. Exortô 4. Maij in quadam domo novi fori incendiô tota vicinia lugubri fatô in cineres abit.

An. 1525. Porta Teuthonica reſtaurata.

An. 1526. Pomærium indè prolatum.

An. 1528. Turcæ die S. Margarithæ feſtô ad agrum uſquè Labacen. magnâ ſuorum col-

colluvie excurrunt, ferrô & igne plorandum omnia in modum vaſtant.

An. 1529. Auxiliares copiæ Viennam Auſtriæ à Turcis obſeſſam mittuntur.

An. 1530. Status Patriæ Deputatos Auguſtam Vindelicorum ad Imperij comitia prô implorandô auxiliô contrà turcas, mittunt.

An. 1531. Turcæ 50000. numerô in Auſtriam & Vicinam Styriam irrumpunt, omnia immaniter depopulantes.

An. 1533. Naſturtia & Roſea platea vulgò Krón/ und Roſengaſſen Labacen. jurisdictioni Magiſtratûs ſubijciuntur.

Ferdinandus I. Imp. indulget Epiſ. Labacen. ut palatium Epiſcopale, ijsdem privilegijs gaudeat, quibus alia principum palatia.

An. 1534. Latus ripæ Labaci fluvij à portà Clauſtrenſi ad portam Aquenſem murô valatur.

An. 1535. Joannes à Lamberg dynaſta ſupremi capitaneatûs Carn. dignitate inſignitur.

Privilegium civibus Labacen. in ſylva Labacenſi paſcendi (excluſis ijs, qui onera civitatis non portant) tributum.

An. 1536. Monumentum rotundum ad Portam Aquenſem perficitur.

An. 1537. Turcæ in Croatiam vicinam irruunt, & more ſuo incolas im̃aniter tractant.

An. 1538. Latus urbis Cracovium ſuburbium versùs novâ foſsâ munitur.

An. 1540. Nicolaus Juritſch eques Præfecturæ univerſæ Carnioliæ admovetur, Segnienſes mare Adriaticum infeſtant.

An. 1541. Tergeſtini oratores Labacum ad Diætam pro impoſitionibus moderandis mittunt.

Buda à Turcis capitur, magnâ Chriſtianitatis jacturâ.

An. 1542. Locuſtæ magnâ copiâ advectæ agrum noſtrum radicitùs vaſtant.

An. 1543. Vitus Kisl conſul Labac. magnâ Senatûs gloriâ in Deputatorum numerum adoptatur.

An. 1544. Munimentum in Arce, quod Caroloſtadium reſpicit, fabricatur.

An. 1545. Ludovica Maria Regis Poloniæ Sponſa, Caroli Mantuæ ducis filia Labacum tranſiens, omni humanitate ſuſcipitur.

An. 1546. Gottſcheviam, Reiffnitium, & Orteneg dominium Turcæ vaſtant.

An. 1548. Privilegiô Terræ Principis limitum urbicæ jurisdictionis, ne urbs controverſiam poſt patiatur, confinia deſcribuntur.

An. 1549. Joannes Dorn Conſul Labacen. vir ſpectatæ prudentiæ collegio Procerum Deputatorum adſcribitur.

An. 1550. Lutheri dogmata Labaci à Matthia Klobner S. D. C. ſpargi cæpta.

An. 1554. Capella B. M. V. in Burgſtal & S. Joannis in ſuburbio, ne Turcæ hùc irrumpentes eò ſe recipiant, juſſu Cæſaris demolliuntur.

An. 1555. Ludovica Maria Regina Poloniæ vidua hinc Romam tranſiens à Proceribus ſalutata, feſtivâ tormentorum exploſione excipitur.

An. 1558. Annus fertiliſſimus, qui omnigenâ frugum copiâ, Carnioliam beavit.

An. 1558. Urbanus Epiſ. Labacen. Malleus Hæreticorum dictus, à Cæſare Donawerdam in legatione miſſus, ſtructis hæreticorum inſidijs, noctu per ſcalas lapſus, non ſine martyrij laureolâ occubuit.

An. 1560. Turris Arcis, quæ ortum ſolis reſpicit, exædificatur.

Privilegium à Ferd. Imp. datum ſolenne forum die feſto converſionis ſancti Pauli inſtituendi.

An. 1563. Peſtis lues magnâ incolarum ſtrage Labaci graſſatur, hinc tribunalia Lythopolim translata, unde toti Patriæ durante hôc malô perſpectum.

An. 1564. Continuat virulenta lues majori cæde mortalium debacchari.

An. 1565. Magna Sterilitas frugum & vini.

An. 1566. Turcæ Sigethum vi occupant, quod Nicolaus comes Serinius ſtrenuè ad extremum uſquè defendit. An.

An. 1570. Fames latè hic & in vicinis regionibus graſſatur.

An. 1573. Gurgfelda infer. Carnioliæ civitas à ſeditioſis ruſticis intercipitur, ſed mox à noſtris recuperatur, & corriphæi morte caſtigantur.

An 1574. Leonardus Crön conſul Labac. vir priſcæ probitatis, & litteratus deputatorum Patriæ honore inſignitur.

An. 1574. Goritia cum toto Comitatu à celſis: Principe Conrado Epiſ. Labac. Archiducis Caroli Legato à Lutheranâ fœce, repurgatur.

An. 1575. Carolus Archidux Auſtriæ, Gubernator Patriæ, cum ſereniſſima conjuge Maria Bavariæ Duce Labacum luſtrat omni apparatu, & ſplendore exceptus.

An. 1575. Typographia à Joanne Manlio Typographo Labacum primitùs introducta.

Herwardus Dynaſta ab Auerſperg, Capitaneus ſupremus Carnioliæ, Generalis Croatorum, inclytus heros ad Wudatſcha in finibus Croatiæ auxiliares copias expectans, traditus, à Turcis, inſidijs ſtructis invaditur, cingitur, ac cum ſuis trucidatur, cujus caput corpori abſciſſum Auerſpergicæ genti remittitur, quod in caſtro Auerſperg hodiedùm obſervatur.

An. 1576. Accidit in Caſtro Auerſperg non pro-

procul Labacô funeſtus caſus, cum Joannis ab Auerſperg equitis dilecta conjunx Maria ab urſo in area arcis ſervari ſolito vinculis ſoluto, immaniter dilaceratur.

An. 1577. Caroloſtadium fortalitium Croatiæ ad arcendos Turcas à finibus Patriæ, ad Colapim fluvium, eò locorum, ubi Pagus Dabraz ſtetit, ædificari cæptum.

An. 1578. Provinciales Luthericolæ à terræ principe per deputatum, liberum exercitium implorant.

An. 1579. Conradus Gluſchitsh Epiſcop. Labacen. Dominium Rudenegk in Styria à ſe emptum Epiſcop. Labacenſi adſcribit.

An. 1581. Turcæ in Confinijs Croatiæ notabili à noſtris clade notantur.

An. 1584. Turcæ 10. mill. in inferiorem Carnioliam improvisò irrumpunt, ac Labacũ uſquè excurrunt, à noſtris è contra unitis viribus invaſi, magna eorum ſtrage confunduntur, recuperatis prædis chriſtiani in captivitatem acti, redimuntur.

An. 1588. Turcæ ſub duce Sinan Baſſa à finibus Patriæ, notabili clade averuncantur.

An. 1590. Carolus Archidux Auſtriæ, Styriæ, Carinthiæ, & Carnioliæ Gubernator ex thermis Auſtriacis redux Græcij univerſali luctu moritur.

Segnienſes juncti Uſcokis, mare Adriaticũ infeſtis armis incurſant. An.

An. 1592. Wihatſium, quondam Carnioliæ tributaria civitas, à Turcis, magnô Patriæ noſtræ detrimentô, vi capitur.

Siſeccum à Turcis obſeſſum à quôdam Canon. Zagrab. ſtrenuè defenditur.

Fit irruptio Turcarum in Turo-pole.

An. 1593. Annus ob famoſam Carnioliæ victoriam contrà Turcas ad Siſeccum invictô duce Andrea ab Auerſperg 12. Junij reportatam memorandus. Cum Haſſan Baſſa Boſniæ Bellidux cum 25. mill. noſtrorum 5000. generosô manipulô fortiter obrutus, cæde 1800. totô armorum apparatu in prædam relictô in fugam agitur.

An. 1594. Georgius Lenkovitſch, heros inclytus, Gen. Carl. ad Wihathſium uſquè irrupit, ac opimis ſpolijs onuſtus feliciter redit.

A Comite Serinio Babotſch, Segeſt & Presniz recuperantur.

An. 1595. Petrina Croatiæ fortalitium à Lenkovitſchio Generali Caroloſtadienſi Turcis recipitur.

Societas Jeſu Labaci magnô Orthodoxæ fidei, pietatis, & literarum incrementô, Cæſare Ferdinando II. fundatore, introducitur.

An. 1596. Turcæ Petrinam 50. millibus ſuorum obſident, ſed à noſtris fortiter invaſi, poſt inſignem reportatam victoriam, cæſis eorum 15. millibus inde repelluntur. Eâ tem-

tempeſtate in Liburniæ finibus Cliſſa fortalitium ad littus Hadriaticum à Segnenſibus interceptum.

An. 1597. Annus hic lætus Labaco affulſit, cum Sereniſſimi Archiduces Maria Mater vidua, Ferdinandus, Maximilianus, Erneſtus, Leopoldus, Gregoria, Maximiliana, & Margarita filiæ, eò venerint, ac Ferdinando præſtitô homagiô, urbis templa, arcem, ac notabiliora loco viſitaverint.

Uſcoki Rovigno oppidum Venetorum in Iſtria ad littus maris Adriatici incurſant. Inferiorem Carnioliæ partem occupant, ubi ſedem fixerunt.

An. 1598. Veneti novi maritimam civitatem comitis à Frangepani intercipiunt, & in cineres agunt.

Martinus Epiſ. Secovienſis, ob Turcarum metum, ne in Carnioliam, & vicinas regiones irruant, ad comitia Ratisbonenſia, opem imploraturus mittitur.

An. 1599. Archiducis Caroli filiam Margaritam Hiſpaniarum Regis ſponſam, cum Archiduce Alberto eam comitante, Labacum tranſeuntem ſtatus Carnioliæ feſtivô applauſu excipiunt.

Hôc annô Autumni tempore peſtifera lues Labaci ſæviſſimè depopulabatur, cum plurimos non ſolùm ſenatores, ſed ipſum judicem Joan-

Joannem Albinum, in cujus vices Lucas Petek ſuffectus, ſuſtulerit.

An. 1600. Initium reformationi fidei catholicæ mandatô Cæſaris datum, quod incredibili zelô magni præſulis Labacen. Thomæ Crön, maximô fructu promovetur.

Canisha fortalitium à Turcis occupatur, quô factô ingentes his regionibus tumultus excitantur, ob metum, ne hoſtis in Patriæ viſcera penetret.

An. 1601. Divi Achatij tutelaris primarij univerſæ Carnioliæ honori capella in Palatio Provinciali à Stat. Carn. gratitudinis ergò erigitur.

Auxiliares copiæ ad Canisham recuperandam ex Italia ſpeciatim ſtatu Pontificio 1200. Florentia 2000. miſſæ, Labacum tranſeunt.

An. 1602. Epidemiæ lues invecta, mox ope divinâ, & regentium ſingulari induſtriâ extinguitur.

Ob irruptionem Tartarorum in Styriam inferiorẽ, ne ultrò noceant, cuſtodiuntur confinia.

Religioſa Capucinorum familia, Religione, paupertate, & humilitate ſpectanda, Labaci introducitur.

An. 1603. Tartari denuò vicinam Styriam devaſtant, à noſtris ſecùs ne ultrô irrumpant à finibus arcentur.

Luthericolæ Labaci quinquageſimum annum ſectæ ſuæ Jubilæum agunt.

An.

An. 1604. Irruptiones hoſtiles, ingenti chriſtianorum ſtrage, continuantur in vicinis regionibus.

Stephanus Botsgai magnam Tranſylvaniæ partem occupat.

An. 1605. Hoc anno Soc. Jeſu Venetijs dimittitur, ſed paulò poſt revocatur.

Strigonium in Pannonia à Turcis capitur.

An. 1606. Ingens exundatio Savi fluvij magna accolis cauſavit damna.

Veneti à Pontifice ſummo excommunicantur.

An. 1607. Armiſtitium Cæſarem inter, & Potsgei Tranſyl. Princ. ſancitum.

An. 1608. 5. Maij in Cathedrali Labac. Baſilica ob mortem Mariæ Archiduc. Viduæ Caroli, quam Maximil. Erneſtus Filius Thomæ Crön Epiſ. Labac. litteris datis 29. April. notificaverat, juſta perſolvuntur.

Eccleſia S. Joannis Evang. PP. Capuc. à Thoma Epiſcopo, maximo concurſu populi vicinarum Parochiarum, ſolenniter conſecratur.

Hoc anno fit prima diviſio agrorum communium à ſenatu civico.

An. 1609. Ingens & hactenùs non viſa copia nivium.

Seditio Auſtriacorum contrà terræ Principem inopinato ſucceſſu, ſedatur.

Felicibus ſucceſſibus Labaci Religionis negotium promovetur.

An. 1610. Vetus ædificium loci recreationis Coll. Labac. Soc. Jeſu ſub turri nuncupatum, quo omnium Advenarum calculo, in tota Auſtriaca Provincia, non eſt alius, qui huic tot prærogativis naturâ, & arte inſtructo, comparetur, ab Eximio Antiſtite Thoma, ſtructum.

S. Carolus Barom. Card. divorum numero inſeritur.

An. 1611. Solemnitas feſti Theophorici, ob hæreticorum irreptam pravitatem aliquot annis interrupta, omni triumphali decore, ac feſtivitate, denuò celebrari cæpta.

An. 1612. Bellum inter Auſtriacos, & Venetos in Liburnia, ob liberam in mari Adriatico Segnenſibus navigationem negatam, tum ob eorum crebras navium Venetarum deprædationes exortum, quod quinquenio durabat.

Cultus divinus, & litterarum ſtudia per PP. Soc. Jeſu ubique mirè promoventur.

An. 1613. Comes quidam ab Altheimb ſecundo fluvio Labaco vectus ſiniſtro fato, unà cum ſuo Secret. Camerario, & Famulitio mergitur, in Eccl. Aſſumptæ PP. Franciſ. ſepultus.

An. 2614. Pons ſutorius adjectis utrinque officinis noviter conſtruitur.

Lutheraniſmus Labaci repululare, & clam promover videtur. Jl-

Jlluſtriſſ. D. Joan. Udalricus L. B. ab Eggenberg munus Carnioliæ Præſidis aggreditur.

An. 1615. Naſcitur cum ingenti Carniolici nominis gloria Jo. Weichardus, S. R. I. Princeps ab Auerſperg, Eques aurei velleris, & ſupremus Aulæ Cæſ. Præfectus, Animi magnitudine, prudentiâ, & morum candore nemini ſecundus.

Eccleſia S. Jacobi PP. S. J. à Celſiſſ. Principe Thoma Crön Epiſcopo Labacenſi ſolemni ritu conſecratur.

Hoc anno fit altera ſolennis diviſio agrorum communium, qui inter cives ad ſupportanda horum onera omni trienio hodiedum diſtribuuntur.

An. 1616. Ferdinandus Archidux, armiluſtrium copiarum contrà Venetos collectarum Labaci conſtituit, ad quod perſonaliter comparet, quibus in auxilium Gradiſcæ à Venetis obſeſſæ miſſis mox hoſtis obſidionem ſolvere cogitur.

An. 1617. Menſe Auguſto in Cathedrali Baſilica divi Nicolai, pro felici ſucceſſu armorũ Auſtriacorum, per horas quadragenas magnâ pietate litatum.

Hôç annô in Paraſceve Domini Proceſſio famoſa pœnitentium, cui nulla in terris Auſtriacis æquiparanda, primùm à PP. Capuci-

nis ſumptibus Cong. Redempt. Mundi producta fuit.

An. 1618. Cometa viſus hic, & vicinis regionibus bellum novum ſubſecutum præſagire credebatur.

An. 1619. Collegium PP. S. J. Labac. Ferdinando ſecundo in Imperatorem recèns electo, Fundatori ſuo, ſolemni apparatu feſtivitatis, gratum applaudit.

Gabriel Bethlehem invadit Hungariam.

An. 1620. Ob memorabilem ab Imp. Ferd. de Bohemis adeptam victoriam in Cathedrali Baſilica, conſuetæ exultantis Eccleſi. hymno gratæ redditæ.

Altenburgum Dominium in Infer. Styria ſitum, Thomas Crön Epiſc. Labac. abs ſe emptum, Epiſcopatui adjunxit.

An. 1621. Vehementi terræ motu Labacũ concutitur.

Rhæti, ſeu Griſones ab Archiduce Leopoldo, & Hiſpanis domantur.

An. 1622. Canonizatio S. Ignatij Soc. Jeſu toto orbe inclytæ Fundatori Labaci omni magnifico apparatu, arcubus binis in foro publico, & ponte Sutorio, quo ſolemnis proceſſio pertranſijt, octiduana ſolemnitate recolitur.

An. 1623. Jo. Ulricus Princeps ab Eggenberg Capitaneus Carnioliæ, à Ferd. II. Rom. Imp. in Principem Imperij evehitur. Su-

Suburbium S. Joannis extra portam Hoſpitalenſem, igne in quadam domo Lanionis caſu exorto, in cineres abit.

Turcæ Caroloſtadiũ uſquè excurrunt, unde majori ex parte cæſi retrocedere coguntur.

An. 1624. Turcæ inferiorem Styriam, Patriæ contiguam, ferro, & igne vaſtant.

Fit reformatio Religionis in Auſtria, Bohemia & Moravia.

An. 1625. A Celſiſſimo Epiſ. Labacen. Feſtum S. Ignatij Patriarchæ, tam in foro, quàm choro celebrari indictum.

Peſtis in inferiori Carniolia graſſatur.

An. 1626. Hôc annô preces 40. horarum triduanæ ferijs ante cineralibus Labaci in Eccl. S. Jacobi PP. S. J. indultu Pontificis inchoatæ.

Senatus interior à Ferd. Imp. perpetuatur, abrogato veteri annuatim quaternos mutandi more.

An. 1627. Solennis pietatis pompa in Cathedrali Baſilica, ob Ferdinando II. Romanorũ diadema capiti impoſitum, inſtituta.

An. 1628. Palatinatus ſuperior Electori Bavariæ, à Cæſare attribuitur.

An. 1629. Annonæ caritas univerſam Provinciam premebat, quapropter torrentis inſtar ingens undequaquè egentium turba urbem hanc inundaverat. Quibus hac in calamitate, panis diſtributione, Senatus ſuccurrerat.

An. 1630. Moritur univerſali luctu, Eximius ille Præſul Thomas Crön S. R. I. Princeps Epiſ. Labac. ob tot præclara geſta nullis literis ſat deprædicandus, in Cathed. Baſilica proprio magnifico depoſito honorificè tumulatus.

Turris nigra nuncupata, in monte arcis Labacen. incuriâ cujuſdam pulvere nitrato accenſo, diſrumpitur.

An. 1631. Leopoldus Archidux Auſtriæ, cum Regia ſponſa Maria ex Hiſpanijs Auſtriam rediens Labaci, ubi quatriduo morabantur, omni ſolemnitate adhibitâ excipiuntur.

Reinaldus Scarlichius S.R.I. Princeps Epiſc. bacen. poſſeſſionem capit.

An. 1632. Eminen. Cardinalis Petrus Pazmanus Labacum tranſiens, in Aula Sitticenſi Ord. Ciſter. dignitati humanitate pari hoſpitans, tractatur.

An. 1633. Dũ publico hoſpitio in Haidenſchafft è regione Eccl. S. Joſephi fundamenta jaciuntur, ſplendidum monumentum, cum veteri Romana inſcript. ingentibus oſſibus, annulis, & nummis aureis, detegitur.

An. 1634. Moritur menſe Octobri Udalricus Princeps ab Eggenberg, univerſali Provinciarum Int. Auſtriæ, luctu.

Solennis funeralis pompa, in obitu Dieterici ex Comitibus ab Auerſperg, more antiquo

quo poſthac non viſo apparatu, Labaci celebrata.

An. 1635. Joan. Antonius Princeps ab Eggenberg Patri ſuo in dignitate Capitaneatûs Carnioliæ, ſuccedit.

Annus hic fertilitate frugum memorandus, quo integer modius, vulgò ſtär 2. flor. Pano tritici 1. fl. venundabatur.

Seditio Ruſticorum in Carniolia, & Styria à nobilitate oppreſſa, arrogantiam luit.

An. 1636. Solemnes Deo grates, ob coronationem Regis Romanorum Ferdinandi tertij, Pietatis pompâ, & bellicarum machinarum fragore, perſolvuntur.

An. 1637. Ferdinandi II. Imp. fatis erepti pijs Auguſtis manibus à Collegio S. J. Labac. Fundatoris ſui, funebri apparatu parentatum.

An. 1638. Jo. Anton. Princeps ab Eggenberg Capitaneus Carn. quà legatus Cæſareus, hactenus non viſo apparatu, & pompâ, 20. Comitum, 24. Nobilium, ac univerſim 300. comitatu, Labacum, iter Romam adornans, tranſit.

An. 1640. Ingens terræ motus, præſertim Locopoli, non procul Labaco, mortalium animos inopino terrore concuſſit.

An. 1641. Otto Fridericus Princeps Epiſ.

Labac. ex Comitibus à Buchaim, poſſeſſionem capit. Qui ab Inclyto Cap. Labacenſ. raro gratulationis officio, ſymbolis, & elogijs ad Perſonam, & tempus alludentibus, humaniſſimè condecoratur.

An. 1642. Memorandum diluvium Nauportûs fluvij, poſt ingentes pluvias, ſubſecutum.

An. 1644. Joannes à Tſchernembl avitæ Nobilitatis à duobus Equitibus in Commenda Labacenſi, equeſtri dignitate inſignitur, ſolito more, & ritu. Aureo in collum conjecto torque, gladio aurato in latus appenſo, ac promiſſo juramento præſtito. Nihil eorum ſe unquam admiſſurum, quæ Chriſtianum militem dedecent, viduas, & Orphanos defenſurum.

An. 1645. Magnus tumultus 13. Maij inter cives, & milites Legionis Ferrarienſis, hic æſtivantes excitatus, ſtrage utrinque factâ, primis tandem prævalentibus, ſopitur, ac dein tumultûs corriphæus miles capite plexus, pœnas dedit.

Ingens copia vini, idque qualitatis optimæ, hic leviſſimo pretio venundabatur.

An. 1646 Horribilis Cometa his regionibus viſus, mortem Imperatricis viduæ Mariæ fors præſagiens.

Peſtis ad oppidum Draule, quod 4. ſtadijs

La-

Labaco diſtat, delata, immaniter graſſatur, ne hoc exitiale malum ultrò ſerperet, ſingulari ope Divina, & indefeſſâ vigilantiâ Labacenſium comprimitur, & ſopitur.

An. 1647. Annus Neapolitanâ Thomæ Anielli ſeditione clariſſimus, imperio violento decem dierum ſpatio, quo incredibilia penè geſſerat, durante.

Labaci in ſuburbio Burgſthal, horto Neltliano Neptuni fani rudera, cum pavimento operis celati moſaici, deteguntur.

An. 1648. Cœnobium DEO dicatarum Virginum ordinis divæ Claræ, à Michaële Hiller, Labacen. J.U.D. liberali munificentiâ, ſui non immoriturâ famâ, fundatur.

An. 1649. Wolfgangus Engelbertus Com. ab Auerſperg, ſapientiæ, & omnigenæ virtutis prototypon, Joanni Antonio Principi ab Eggenberg Capit. fatis erepto, ſubrogatur.

Wachenheimbianæ Legiones quinæ Centuriæ ad hyberna Labacum mittuntur, ibidémque triennio morantur.

An. 1650. Ingens penuria tritici, hinc pauperibus magnâ copiâ Lazareto collectis ope ditiorum, ſingulari zelo & curâ Jo. Jobi Weber Senat. Labacen. alimenta decernuntur.

An. 1651. Labacum magnum incrementum ſumpſit ſub regimine inſignis Capitanei ab Auerſperg, unicè ad bonum publicum au-

gendum, ſui non immorituro nomine, intenti.

An. 1652. Solennis decurſio ludicra Equeſtris hactenùs non viſa ab avita nobilitate 32. Heroum, memorato Capitaneo adornante, Labaci in novo foro, maximo ſpectantium applauſu, exhibetur.

An. 1653. Celſiſſimi Principes ab Eggenberg, Reformatorum S. Auguſtini Diſcal. clauſtrum Labaci fundant, & Religioſos incolas introducunt.

Horribile frigus, Iggium fluvium gelu, quod mirum, occupans, omnem transmeatum præcluſit.

Condit Præp. cum Capitulo Labacen. extra Labacum ad S. Stephanum, verum ſepulchri Hieroſolymitani ſimulacrum, cum 5. ſtationibus, myſteria paſſionis præſentantibus.

Ignes feſtivi in applauſum Ferdin. 4. in Regem Romanorum electi, ad ripam Nauporti accenſi, incolarum oculos, & animos recreârunt.

An. 1654. Jo. Weichardus Princeps ab Auersberg, ſupremus Aulæ Cæſareæ Præfectus, Sapientiâ, & rerum gerendarum dexteritate clarus, à Ferd. III. Rom. Imp. in numerum S. R. I. Principum adoptatur.

19. Febr. Pons Sutorius unà cum 24. officinis ſuper ſtructis, exorto inopino caſu incendio, in cineres abit. To-

Toto orbe ſtupente Anglia horribili parricidio Regem ſuum capite plectit, ſubinde Regiam ſobolem in exilium ejicit, ac denuò reſtituit.

An. 1655. Elegans marmoreus fons, cui Herculis ſimulacrum incumbit, in veteri foro S. C. Labacenſis ſumptibus erigitur.

An. 1656. Turcæ è Wihaz Caroloſtadium uſquè excurrentes ab invicto heroe Herbardo Com. ab Auersberg Gen. Caroloſtadien. totaliter cæduntur, aut in captivitatem ducuntur.

Legio Ranfftiana ex Patria dimiſſa, Carinthiam tranſiens inſoleſcit, ac ultrò progredi recuſat, donec à noſtris, ſubmiſſo milite ſtipendiato, opem ferentibus compeſcatur, ac ultrò moveat.

An. 1657. Eccleſiæ Divi Joſephi Nutritij Chriſti PP. Ord. S. Auguſt. Diſcal. fundamenta jacta ab Excellentiſſimo Com. Woff. Engel. ab Auersberg Capit. Carn.

An. 1658. Hoc anno Labacum fluvium, ne ultrà exundatione ſuâ tempore Autumnali noceat, Status Carnioliæ, ope cujuſdam Capucini Hollandiâ oriundi, ante urbis ingreſſum novo eruendo alveo, dividere ſtatuerunt. Initium quidem datum operi, tot votis, & ſæculis exoptatum, ſed mox remiſſum ad alia tempora. Feſtivitas ſolennis ob B. Tho-

Thomam Villanovum Divorum albo adſcriptum Labaci à PP. Auguſtin. octiduo durans, inſtituta.

Nova fabrica juxta curiam civicam, pro ſalis emporio à fundamentis ſtruitur.

Petrus Serinius Com. heros inclytus iteratis cladibus Turcas à finibus Patriæ arcet.

An. 1660. Magnum feſtivæ lætitiæ argumentum præbuit ſept. Idus ſept. cum Auguſtiſſimus Rom. Imp. Leopoldus I. cum Leop. Wilhelmo Patruo inter reboantium tormentorum fragores, ærîſque campanarum ſonitus, à lectiſſima Nobilium Procerum coronâ, magnificè inductus in metropolim hanc appulerat, ac ſextà ab hinc die homagium à fidelibus ſubditis clementiſſimè ſuſceperat.

Leopoldus Wilhelmus Archidux Labac. in ampla æde Equitum Teutonicorum Ordinis (Cæſare interim Goritiæ, & Tergeſti homagium recipiente) dimoratur, Templúmque Deiparæ, in quo Ectypon Paſſavienſis, miraculis celebre, colitur, pretioſo lampade locupletavit.

6. Iduum Oct. Cæſar Tergeſto redux ſacrum corpus Divæ Peregrinæ V. & M. è Cathedrali Baſilica ad Eccleſiam S. Joſephi, ſolemni cum ſupplicatione, ac maximâ cum celebritate delatum, pedeſter comitatur.

An. 1661. Nicolaus Serinius heros inclytus Turcas in finibus Hungariæ iteratis cladibus fundit, & opimis ſpolijs potitur.

An. 1662. Joan. Ferdinandus Princeps à Portia, Præſes Carnioliæ, ac dein ſupremus Aulæ Cæſ. Præfectus à Leopoldo I. Cæſare ad Principis ſupremam dignitatem evehitur.

1663. Turcæ in Croatiam inopinè irruentes metu panico finitimos percutiunt, qui maximâ copiâ Labacum confugiunt, verùm paulò poſt à Serinio ad Ottotſetſch, ingenti clade notantur.

Erigitur, & fundatur Abbatia S. Sepulchri extra Labacũ, piâ munificentiâ Jo. Andreæ à Stemberg Præpoſiti Labacen.

An. 1664. Ad Levenzam, & S. Gotthardum prælio victis Turcis, Pax ijs deprecantibus ad 20. annos ſtabilitur.

Hyperlabaci à Capucinis è capitulo Provinciali Labaci celebrato Italiam redeuntibus variæ viſiones in ſole, fors ſubſecutæ Turcarum cladis præſagæ, obſervantur.

6. Id. Decembris univerſi Carnioliæ Status, per Excellentiſſimum Capitaneum Wolff. Engel. comitem ab Auerſperg pietati Auguſtiſſ. Leopoldi Cæſaris ſubſcribunt, & Virginis Immaculatæ feſtum præmiſſo jejunio celebrandi, ac ejuſdem honori coloſſum marmoream

moreum Virginis Immaculatæ ſimulacro æneo ponendi ſe voto obſtringunt.

An. 1664. Excell. Joſephus Com. de Rabatta. Ord. S. Jeroſolym. Eques Commendator in Laſſen, &c. Sereniſſ. Archiducis Caroli Joſephi ſupremus Aulæ Præfectus, & poſt funera hæres fit Ep. Labacen.

An. 1665. Celſiſſ. Princeps Joſeph. Ep. in Cœna Domini annuatim ſolitam functionem, primũ peragere, ac poſt peractam duodenis pauperibus pedum lotionem, ijs lauto inſtituto prandio, cum Nobilitate, ſummâ demiſſione, & charitate inſervire, ac largè remunerari, cæpit.

An. 1666. Preces publicæ pro felici itinere per liguſtricum, & Adriaticum mare Auguſtiſſimæ Sponſæ Margaritæ Hiſpaniarum Infantis inſtitutæ, quæ demum Viennam felicibus avibus appulit.

An. 1667. Copiæ auxiliares Venetis, & Candiæ à Turcis obſeſſæ ſubmiſſæ, Labacum tranſeunt.

An. 1668. Initio veris denuò à Cæſare Venetis, validus, hic tranſiens, mittitur ſuccurſus.

In horto nunc Mugerliano, extra portam Teutonicam, pars Aquæductûs, in veteris Æmonæ ſplendoris fidem, hodiedum ſuperſtitis, ob in cautè effoſam terram, corruit.

An.

An. 1669. Capella D. Xaverio Indiarum Apoſt. Carn. Patrono, à Statibus Patriæ juxta Eccl. Divi Jacobi PP. S. J. ad omnem artis regulam, & ſplendorem, à fundamentis excitatnr.

An. 1670. Antiquus habitûs modus Patrius in civitatibus Carnioliæ, Styriæ, & Carinthiæ aboleſcere, & hujus loco Gallicus ſubintrare cæpit.

Franc. Joſ. Borri de fide ſuſpectus, juſſu Cæſaris in Moravia captus, inde Romam miſſus, Labacum tranſit. Conſpirationes à Perduellibus quatuor adverſus Cæſarem Leopoldum clam promotæ ad lucem prorumpunt, ne hi ſubitâ irruptione Patriam vaſtent, ſubijt Agreſtes trepidatio, & ex trepidatione fuga ad tutiora loca.

An. 1671. Canonizatio D. Franciſci Borgiæ S. J. in numerum Sanctorum relati, octiduanâ feſtivitate, quotidiano ſermone, ſacro ad aras ab infulato Myſta cantato, accenſis reboantibus machinis, proceſſione è Cathedrali Baſilica ad S. Jacobum inſtituta, celebratur.

An. 1672. Eccleſiæ Divi Floriani in Veteri Foro primum lapidem poſuit Celſiſſ. Princeps ex Com. à Rabatta Ep. Labacen.

Lacus Lugea, ſeu Cirkniceníis toto orbe, ob tria ſpecialia naturæ dona, annuâ piſcatione,

ne, meſſe, & venatione, decantatus, hoc anno totaliter defluxus Labacenſibus incredibilem piſcium copiam ſubminiſtravit.

An. 1673. Luctuoſus hic annus accidit univerſæ Carnioliæ tragico funere Excel. Wolff. Engelberti Com. ab Auerſperg, Capit. & Patris Patriæ, qui 4. Cal. Maij communi Patriæ mærore piam Creatori ſuo reddidit animam: Exuviæ defuncti ad Celſiſſimæ gentis Mauſolæum in Eccleſia Aſſumptæ Virg. PP. Franciſcan. illatæ ſunt, cui funebri pompâ, per triduum præſente Celſiſſimo Principe Jo. Weichardo ab Auersberg germano ſuo, cum copioſa procerum nobilitate parentatum.

1674. Celſiſſ. Joan. Sigefridus Princeps ab Eggenberg in Capitaneum univerſæ Carnioliæ denunciatur, ac ſolemni feſtivitate poſſeſſionem capit.

Ambulacrum juſſu Principis ab Auersberg, in ſuo celebri horto extra portam Vicedom. quem in ſummis amoribus habuit plantatis longâ ſerie arboribus, ad regias penè delicias, adornatur.

An. 1675. Divus Joſephus Nutritius Chriſti ab Aug. Imper. Leopoldo in Patronum Regnorum, & Provinciarum hæreditariarũ declaratur, ac ſolenni feſtivitate in Eccl. Ejuſdem ſancti PP. S. Auguſt. Diſcal. Panegyrim ador-

adornante Jo. Lud. Shönlebio, Decano Lab. à Statibus Patriæ in Patronum ſuſcipitur.

Jo. Weichardus Princeps ab Auersberg, Vivarium Dianæ luco, & Heſperidum delicijs æquiparandum, proximo ab urbe lapide, exſtruere adorſus eſt.

Prædicantes, quà incitatores ad ſeditiones ex Hungaria pulſi, & ad triremes condemnati, Labacum tranſeunt.

Turennius heros, ad Sabaſchium tormenti globo è Cæſaris caſtris emiſſo, occubuit.

An. 1676, Magnum menſe Junio, ſole meridiem vix emenſo, domo Fabri cujuſdam in ſuburbio extra portam Hoſpitalen. excitatum incendium, cui vehemens acceſſit venti vis flam̃am latè diffundens, quæ ſpatio trium horarum triginta domos abſumpſit.

An. 1677. Acerbiſſimo Patriæ doloris ſenſu 3. Id. Novem. è vivis eripitur Celſiſſ. Jo. Weichardus Dux Sil. Princeps ab Auersberg, & demortui magnæ exuviæ, exquiſitâ funebri pompâ in Eccl. Aſſumptæ Deiparæ proprio mauſolæo, reponuntur.

An. 1678. Abſterſis ſubinde ex tenero luctu doloris Lacrymis Solemnes Nuptiæ inter Ferdinandum Ducem Sileſiæ Münſterbergæ, Princ. ab Auersberg, & Mariam Annam natam Comitiſſam ab Herberſtein, celebrantur.

F In-

Inclaruit inclytus Eques Michael de Forlani Labacenſis, Non. Apr. celeri, ac hactenus non viſo curſu unius equi, Viennâ Neoſtadium Auſtriæ, ſpatio 7. quadrantum horæ, fulminis inſtar feliciter emenſus, quo præmium 200. Aureorum reportavit.

An. 1679. Gratum urbi Labacenſi ſpectaculum præbuit menſe Febr. ſolemnis illa ad omnem pompam magnificè inſtructa Rhedatio. Qua Celſiſſ. Princeps Jo. Sigef. ab Eggenberg Capit. in comitiva 40. trahalium vehiculorum, triumphale agmen duxerat.

Peſte Autumnali tempore Viennæ Auſtriæ ingruente, ad placandum Numen Labaci preces indictæ, tum ad arcendum malum à finibus arctæ vigiliæ conſtitutæ.

An. 1680. Statua votiva ſine Labe Conceptæ Virginis ænea, ſcitâ manu Wolff. Weiskircher Artificis eximij elaborata, coloſſo marmoreo ad omnem ſplendorem confecto, ſumptibus Statuum Carnioliæ, erigitur.

Cometa viſus, fors fauſtum Chriſtianitati, & fatale Turcis futurum bellum, præſagiebat.

An. 1681. Poſta ſeu angaria hinc Caroloſtadium primò adornatur.

Confraternitas Ss. Creatæ Triados JESU Mariæ, Joſeph. in Eccl. S. Joſephi PP. Aug. Diſcalceat. inſtituitur.

Moritur Id. Oct. magno procerum Patriæ, &

& Litteratorum luctu clarus Hiſtoricus Jo. Ludovicus Schönlebius Labacen. Decan. Cathed. Eccl. ſui non immoriturâ famâ.

An. 1682. Initio veris in horto Forſtlechneri ſuburbij Burgſthal, inſignis quondam mauſolæi rudera, celati operis pavimentum, unà cum urnis feralibus, deteguntur.

Excell. Comes Julius Frid. Bucelleni ſumus fautor Patriæ, à Cæſare ad munus Vice-Cancelarij Aulici aſſumitur.

Tumultus menſe Julio ſtudioſos inter, & cives exarſit, ſed brevì, re inter ſuperiores compoſitâ exſtinctus.

An. 1683. Viennâ à Turcis immaniter obſeſsâ, validus hinc Duce Jo. Weichardo Valvaſorio L. B. Styris ad tutanda confinia in auxilium mittitur ſuccurſus.

Liberatâ ab arcta obſidione Viennâ, in Cathedrali Baſilica, 9. Cal. Nov. feſtiva gratiarum actio, panegyrim dicente inſigni P. Antonio Lazari Ord. Franc. inſtituitur.

Cui altera grata devotio ſub horam 4. pomeridianam acceſſit in atrio Eccl. S. Jacobi PP. S. J. ubi coram ſtatua Divæ Virginis columnæ impoſita, exquiſito amictu ornata, Lauret. Litaniæ ſelectiſſimâ ſymphoniâ, iteratâ tormentorum exploſione, ad verba Auxilium Chriſtianorum, decantantur.

Eodem die Pietate clarus P. Marcus d'Aviano

no Capuc. Viennâ redux Labacum appulit, ubi triduanâ ſui morâ, ſæpius brevi exhortatione præviâ, benedictionem copioſo populo impertitur.

An. 1684. Pulſus campanæ horâ 7. ante, & poſt meridianâ in arce inſtituitur, ad cujus ſignum 5. Pater, & Ave pro felici ſucceſſu armorum Cæſar. contra Turcos fundendæ, indicuntur.

Ingens frigus noſtris, & vicinis regionibus.

Centum pulveris pirij centenarij à Magno Duce Florentiæ Cæſari oblati, ad Armamentaria reponuntur.

Locus ſuburbanus propè Labacum ad Savi ripam, quem Pratter vocant, longè amæniſſimus, à ſuprema Principum, & Procerum nobilitate frequentari cæpit.

An. 1685. Ingens copia familiarum è Gotſchevia in Hungariam pluribus locis deſertam, ad ſedem ibi figendam migrat.

Capitulum 43. Provinciale PP. Capucin. Labac. in primario totius Provinciæ Monaſterio menſe Auguſto celebratum, quo P. Auguſtinus Labacenſis, vir magnus pietate, & ſapientiâ fit tertiò Provincialis.

Luſtravit Valvaſorius Hiſtoricus, admirandos propè Adelsberg Oppidum 7. mill. Labaco in Auſtrum abſcedens Nusdorffen. & Guettenfeldenſes meatus, & ſubterraneas cavernas,

nas, ac plurima hactenùs à nullo obſervata ſtupenda naturæ portenta, & luſus orbi detexit.

An. 1686. Horribilis accidit Labaci caſus, dum 4. Cal. Maij, horâ 4. pomeridianâ tremendâ exortâ tempeſtate Turris Provincialis pulverea in arce ictu fulminis tacta, momento funditùs diſrupta, univerſam urbem maximo damno concuſſit.

Iter per Alpes Julias Sigiſm. à Künpach Patritius Carn. magno labore reparat, ac caſu inopino Columnam milliariam à Trojano Imp. ut inſcript. docet; non procul à via regia reperit: ſignabat illa viam militarem, quæ ex Italia in Pannoniam ducebat.

Capucinorum Generalis P. Recanati ſuos viſitaturus Labacenſe monaſterium præſentiâ ſuâ beavit.

In Cathed. Baſilica 8. Id. Dec. ob Metropolim Hungariæ Budam expugnatam, feſtivo piæ lætitiæ apparatu, hymnus Ambroſianus decantatur.

An. 1687. Jo. Sigef. Com. à Sarau Comendatore Labac. ad ſupremum Ordinis Boliviæ Auſtriæ Magiſterium promoto, in ejus vices Henricus Theowaldus Com. à Goltſtein ſuffragatur.

Princeps Lubomirskhi, Poloniæ Regni Mareſchallus copioſâ ſuorum comitivâ Labacum tranſit. Poſſe-

Poſſega, vetus Baſſiana, Slavoniæ caput, à Dynewaldo occupatur.

An. 1688. Seditio ruſticorum ſuperioris Carnioliæ contra dominium Flednig, Coriphæo Martino Stare excitata, eodem capto, & extra Crainburgum, olim Marchionum ſedem, capite plexo, mox ſopitur.

Cæſareus Exercitus Sauum tranſit, Expeditione à centum, & ampliùs annis non auditâ.

Magna copia Turcarum captivorum hàc in Italiam ad triremes mittitur.

Legiones Ducis Mantuani Cæſari contrà Turcas in auxilium miſſæ, recuperato armatâ manu Belgrado, reduces 12. Cal. Oct. Labacum cum toto commeatu tranſeunt.

An. 1689. Belgrado intercepto primus omnium Balthaſar Blaſnig mercator, mercibus ſuis navi impoſitis, eâ non procul Labaco in Caſchlo oppido conſcenſa, ſecundo fluvio Sauo iter tentans feliciter eò appulit, ac alijs eò negotium inſtituendi exemplo præivit

Ven. P. Marcus d'Aviano Cap. 9. Cal. Jul. tertiò Labacum appulit, ac denuò magnum in populo undique confluente pietatis ſenſum erga DEUM accendit.

Eminen. Card. Leop. Com. à Kolonitſch, Ung. Labacum menſe Novem. tranſiens, à Collegio S. J. Labac. ubi diverterat, omni humanitate tractatur. An.

An. 1690. Canisha fortalitium in finibus Styriæ felicibus armis Chriſtianorum à Turcis recuperatur.

An. 1691. Labacum cum tota vicinia 2. Cal. Mart. motu terræ ſeptimo paraxiſmo, abſque tamen notabili damno, ſi laqueare Eccleſ. S. Jacobi, quod ingentes rimas contraxerat, exceperis, divexatur.

Senatus Labacen. Exterior, juſſu Leopoldi Cæſaris aboleto veteri more feſto S. Jacobi, Octo è gremio dimittendi, & totidem ijs ſubrogandi, perpetuatur.

An. 1692. Solemnitas Canonizationis S. Joannis à S. Facundo Ord. S. Auguſtini menſe Jan. die 16. incæpta integro octiduo, magna feſtivitate, concionibus, Miſſarum Liturgijs, & binis quotidie Parochialium vicinorum ſupplicationibus celebratur.

Altera Canonizationis feſtivitas SS. Joannis Capiſtrani, & Paſchalis Bajuli Ord. S. Franciſ. ſumpto initio 15. Cal. Dec. ſupplicatione hactenùs non visâ, ſplendido apparatu, ac maximo octiduano jubilo, promovetur.

Hoc anno Celſiſſ. Princeps Jo. Ant. Joſephus ab Eggenberg Joanni Sigefrido Patri munus hoc glorioſiſſimè fungenti ſuccedit, ac quà 57. Capitaneus gubernium univerſæ Carnioliæ feliciter aggreditur.

An. 1693. Conditur celebris Academia Operoſorum Labacenſium in Jaſonea Urbe, pia in Apollinem idololatria, ac immarceſcibili Pieridum applauſu.

Jo. Chriſtianus Dux Crumloviæ Princeps ab Eggenb, cum conjuge Maria Erneſtina inviſêre menſe Martio Nepotem ſuum Jo. Antonium Joſeph. Principem Neo-Capitaneum, magnâ utrinque conſolatione.

Erigitur Statua Sanctiſſimæ Triadis in triangulari foro, quod Haidenſchafft audit, ante ſacras ædes PP. Aug. Diſcal. ob Patriam elapſis temporibus ab immani peſtis lue unicè præſervatam, munificentiâ Jo. Weichardi Com. ab Auersberg.

Hoc anno Imago miraculoſa Virginis Doloroſæ, in æde S. Floriani veteris fori, poſt cæco reſtitutum viſum, inclaruit.

Teſtudo magnitudinis hactenùs his terris non viſæ, in ſinu Tergeſtino capta, Principi ab Eggenberg Capit. dono data, confluenti populo videnda proſtat.

Moritur univerſali Patriæ luctu, clarus Hiſtoricus Jo. Weichardus L. B. Valvaſorius Labaco oriundus, proſperâ ſui famâ relictâ.

An. 1694. Quarta memoranda diſcordia Senatûs Interioris cum Exteriori in electione Judicis, biduò inſolito durans, Interiore demum prævalente, ſopitur.

An.

An. 1695. Annus centeſimus inclytæ Societatis Jesu Labacum, maximo Catholicæ fidei incremento, & juventutis formandæ utilitati, introductæ, recolitur.

Hoc loco non ommittendum, quod Hiſtrio quidam, Italus natione, F. Rochus nuncupatus in theatrali ludo ab Academica Labacenſi juventute hoc anno ſolemniùs ſolito exhibito, ſaltus inviſos hactenùs, cum ſtupore omnium exhibuerit.

Eminen. Cardinalis Tanara perfuncto Viennæ Officio Legati Pontificij Labacum tranſiens à Celſiſſ. Epiſc. Labac. dignitati pari humanitate ſuſcipitur.

An. 1696. Magna terræ ſterilitas ſummam cauſavit annonæ penuriam, Senatus proinde Labacen. egenis pia charitate ſuccurrens, ope collectitiâ, 500. in Lazaretho collectis, alimenta præbet.

Jo. Franc. L. B. Eggker, à Kupfing Epiſc. Frinſingenſis Labacum. 5. Id. Sept. inviſit.

An. 1697. Excell. ac Jlluſtriſſ. D. Georgio Sigiſm. Com. & D. à Gallenberg Carn. Prætore 13. Cal. Mart. Labaci è vivis erepto, Pio, Sapienti, ab oraculis, & conſilijs inclyto, Patri Patriæ, Metropolis hæc cum tota Patria acerbiſſimo doloris ſenſu illacrymata eſt.

Wihazium fortalitium Turcicum, olim Carnioliæ ſubjectum, incaſsùm à noſtris obſidetur.

Expilatur, & incenditur Seralium, vulgò Seraglio, Boſniæ celeberrimum emporium.

Banus Croatiæ arcem Stenam Turcis aſſultu eripit, & ſolo æquat.

An. 1698 Inclytum Collegium Juridicum Divum Ivonem Tutelarem ſuum, annuatim latinâ Panegyri, & ſolemni Miſsâ, celebrare decrevit.

An. 1699. Status Carnioliæ 15. Cal Mart. Auguſto Regi Rom. Joſepho, ob nuptias cum Auguſta Neo-Sponſa Amalia celebrata, feſtiva inter lætitiæ monumenta, applausêre.

In Eccleſ Parochiali S. Petri extra muros. A. R. D. Jacobus Hruſt Parochus loci, annum Jubilæum Sacerdotij agens, Encomiaſtem Reverendiſſimum J. Bapt. Preſchern. Præp. Lab. in Eccleſ. & extra illam R. D. Bart. Perko. Coad. ſuum corã innumero populo nactus eſt.

Pax Carlowizij Sirmienſi in Principatu Chriſtianos inter, & Ottomanos ad 25. annos ſtabilitur.

Antonius Lazari Ord. S. Franc. Provinciæ Carnioliæ Provinc. Romæ in Comitijs Generalibus Theſes ſuas (quas J. Georg. Mayr, ex mandato Cæſ. Legati impreſſit) nomine Nationis Germanicæ Cæſari dicatas, Sacri Palatij Magiſtro Ord. Dom. incaſsùm obſtrepente, protectus à legato Cæſareo feliciter propugnat, ac Definitor Generalis denunciatur.

An. 1700. Fundatur magno Litteratorum commodo celebris Bibliotheca publica Labaci, munificentiâ Celſſ. Principis Epiſc., Præpoſiti, & Decani Labacen.

Ferijs Bachanaliſt. Drama Italicum, in Aula Principum ab Auersberg, ſala majori theatraliter exhibitum, maximum ſpectatorum meruit applauſum.

Templum Annunciatæ Virg. PP. Auguſt. à Sigiſm. Chriſtophoro Ep. Lab. ſolenni ritu conſecratur.

Item Eccleſ. Divo Joſepho ſacra Ord. Diſcal. S. P. Auguſtini.

Mos puellarum Labacen. feſtum D. Præcurſoris Chriſti nocturno tempore in publicis compitis, menſæ accubitu omnigeno ornatu coruſcæ, cantu, & faſciculorum diſtributione recolere, introductus.

Hagæ Comitum facta diviſio Hiſpanæ Monarchiæ, prodroma diuturni cruenti Martis erat.

An. 1701. Cathedralis Baſilica D. Nicolao ſacra à Piſcatoribus ſeptenno à Partu Virginis ſæculo rudi mole exſtructa, Auguſtâ munificentiâ Frid. III. & Leonora Regina Portugaliæ à fundamentis an. 1461. reſtaurata, vetuſtate tandem ruinam minitans è fundó noviter ad plenam magnificentiam, ac Decorem ſplendidum erigi cæpta.

Ju-

Jubilæum univerſale indultu Pontificis 9. Cal. Aug. ſolemni inſtituta ſupplicatione, duorum menſium ſpatio duraturum, initium ſumpſit, 4. Eccl. Cathed. Baſilica, Parochialis S. Petri extra muros. S. Jacobi PP. S. J. & Annunciatæ Virgin. PP. Auguſtin. viſitandæ præfixæ.

Conſtituitur Labaci juſſu Cæſaris Emporium Annonæ proviſionariæ pro milite in Italia contrà Hiſpano - Gallos militante, alendo.

Excell. Com. Guido Starenbergius Heros inclytus, Commendator Labacen. hinc ad capeſſandum, in Italiam, militum ſuorum imperium, movet.

Eugenius Sab. Princeps ſupremus in Italia Bellidux ad Carpium cæſis 2000. Gallis primam victoriam reportat.

An. 1702. Excell. D. Wolff. Weichardus Com. & Dom. à Gallenberg Pater Patriæ 6. Cal. Apr. Prætoris, & locum tenentis munere à Celſiſſ. Principe ab Eggenberg Capit. ſolenni pompâ inveſtitur.

Alma Societas S. Urſulæ Virginum, Fundatore Jo. Jacobo à Schellenburg Patritio Carn. viro tot titulis claro, omnigena Puellarum utilitate, introducitur.

Ingens apparatus annonæ proviſionariæ ex vicinis & remotioribus regionibus collectus

pro

pro Cæſareo milite Tergeſtum, & Flumen; inde ad Padi oſtium tranſmittitur.

Tergeſtinis à Gallo-Hiſpanis mari hoſtili marte infeſtatis ſuccurritur, inde huc fugitivi magnâ charitate foventur.

Lourana Portus maris Carnioliæ finitimus, ab inimicis Equite Forbinio interceptus, igne vaſtatur.

Hoc anno Academia Phil-harmonicorum Labac. Authore Jo. Bertholdo ab Höffer Patritio Carn. initium cæpit.

An. 1703. Princeps Eugenius Labacum tranſiens à Franc. Ant. Com. Lanthieri Viced. humaniſſ. Lautâ cœnâ ſuſceptus, ab Acad. Philo-harm. ſelectiſſima muſica recreatur.

Hâc æſtate publicatum commercium Cæſærem inter, & Anglo-Hollandos, omnium metropolis hujus votis exoptatum, ſed nondum in actum redactum.

Ne Galli ex ſinu Flanatico in Patriam irrumpant, duæ legiones Viermundiana, & Neiſteriana totâ æſtate propè Labacum ad Sauum fluvium ſtativa ſua habuêre.

Res Auſtriacæ maximo in diſcrimine erant, dum Hungarus novis ſeditionibus longam minaretur perniciem: obrutâ Gallicis copijs Sueviâ, & Franconiâ, Bavari Tyrolim infeſtis armis occupant, ac Carinthiæ, Patriæque minitantur, ſed paulò poſt à ruſticis Tyrolen.

ſe-

ſecuribus, lapidibúſque obtriti, retrocedere coguntur.

Nanportus autumni tempore alveū tranſgreſſus latè diffunditur.

An. 1704. Hoc anno numerus Canonicorum Labacenſium, Divini cultus augmento, & Fundatorum non immorituræ gloriæ, augeri cæptus. Quorum primus Franc. Bernardus Fiſcher, Paroch. Baden, & Conſiſt. Paſſavien. fundationis Kürchbergianæ inſtalatur.

Magnum præbuit Labaco lætitiæ argumentum menſe Junio Naualis ab Academia Philharmonicorum ſub crepuſculum inſtituta feſtivitas, quâ ſelectiſſimo inſtrumentorum concentu, Amphionis inſtar univerſam urbem ad naves, & ſui ſequelam univerſali applauſu, pelexit.

Styris vicinis Patriæ confœderatis, ab Hungaris hoſtili manu infeſtatis, milite noſtro gregario ſuccurritur.

Moritur 4. Cal. Oct. Jo. Bapt. Preſchernius, Præp. Labacen. primus in Neo-Cathed. Baſilica tumulo illatus, cujus ſapientiam externæ nationes admiratæ ſunt, indigenæ ſuſpexerunt, & ſera poſteritas recenſebit.

Ad Höchſtadium propè de totius Imperij ſalute dimicatum, ubi poſt acre certamen Gallo-Bojorum 12000. Marti litati, reliqui in fugam conjecti, Tallardius captus, cum re-

ſn-

liquis iñumeris captivis in Angliam deducitur.

An. 1705. Soleñes nuptiæ Labac. menſe Feb. inter unicam Filiam Mariam Tereſiam Principum ab Auersberg, & Com. Sigismundum ejuſdem cognominis, ad omnem pompam celebrantur.

In Academica aula periſtromatis, aulæiſque ſuperbè exornata Theſes ſuas eruditè tuiti ſunt Jlluſtriſſimi DD. Carolus Joſephus, & Joſephus Erneſtus Com. à Küenburg Salisburgenſes, præſente Celſiſſ. Principe Ferdinando Epiſc. Labacen. cum copioſa nobilitate.

Litatum magno apparatu lugubri 8. Id. Julij in Cathedrali Baſilica manibus Leopoldi magni Cæſaris.

Pio æquè doloris ſenſu accenſi Acad. Philo-harmonici 20. ejuſdem in Eccl. Annunciatæ PP. Auguſt. magnifico ſtructo caſtro doloris Auguſto Monarchæ parentarunt.

Hoc anno inclyta Natio Carniolica Viennæ in Eccl. Aulica Patronos ſuos. D. Achatium, Nicolaum Epiſc. Hermagoram, Fortunatum, Maximum, Florium, Pelagium, Nicephorum, & Servulum, annuatim ſolemni ritu recolere cæpit.

Obdormivit in Domino 9. Cal. Sept. cum fama ſanctitatis. P. Ant. Lazari, Labac. Ord. Reform. S. Franc. Definitor Generalis, Pietate, & litteris clarus.

An.

An. 1706. Ferdinandus Dux Sileſiæ Münſterbergæ, Princeps ab Auersberg, abſque hærede maſculo, 11. Cal. Aug. univerſalis urbis hujus luctu, è vivis abripitur, ac in Eccl. Aſſumptæ Virg. proprio mauſolæo, faſtoſo funebri apparatu, tumulatur.

Solemnitas introductionis officiaturæ in neo Cathedralem Baſilicam D. Nicolai ſub menſem Aug. feſtivitate 14. diebus durante, quotidiano ſermone, & binis ſupplicationibus popularium univerſæ diœceſeos, celebratur.

Campana major Cathed. Baſilicæ S. Nicolai pond. 67. cent. largâ manu Petri Antonij Codelli Nob. Provinc. Carnioliæ & Carinthiæ fuſa, Sapientiæ Divinæ dicata, turri imponitur.

Barcinonis obſidio, Urbem Carolo 6. Rege Hiſp. in tenera ætate viriliter tutante, adventu confœderatorum feliciter ſolvitur.

An. 1707. Novena Adventus Natalis Domini, annuo ad ſplendorem mirum ornatu, quotidianis ſelectorum Oratorum exhortationibus, & omnibus numeris abſoluto concentu Acad. Philo-harmonicorum inchoatur.

Octava Id. Maij fit magnâ pompâ Conſecratio ſanctæ Neo-Cathed. Baſilicæ ad quam condecorandam Cæſarea Majeſt. Joſephus I. Imperatrix Amalia, Vidua Imp. Eleonora, cum plurimis Archi-Epiſcopis, Epiſcopis, Prælatis, ac alijs magnatibus, invitati. Qui ſpe-

ciales

ciales Legatos, ut huic ſolemnitati interſint, deputârunt, aut perſonaliter comparuerunt: erecti porrò arcus triumphales, cuſſi nummi miſſiles, ſacerdotum humeris portata Sanctorũ Lypſana, quotidie per octo ferias inſtructa nova ſupplicatio; ſoleñes miſſæ, & panegyres.

Lambergiana fundatio, nullo calamo ſat deprædicanda, in ægrotos humana ope deſtitutos charitatem exercens, quâ ſingulis menſibus miſeris lecto affixis larga eleemoſyna erogatur, Mæcenatem ſuum Dynaſtam Joannem Adamum æternùm dilaudat.

An. 1708. Conditur Labaci *Collegium Carolinum Nobilium*, tam Convictorum, quam Alumnorum, magno Pietatis, & Litterarum incremento.

Odæo Divæ Roſaliæ in monte arcis à Ferdinando Epiſcopo Labac. Coadjutore Pragenſi primus jacitur lapis.

Celebrato Clauſtro-Neoburgi Connubio Joannem V. Luſit: Regem inter, & *Mariam Annam Joſephi* Imperat. Sororem, Comitante *Ferdinando* Epiſcop. Labacenſi. è Com. à Küenburg, qua deſignato á Cæſare in Luſitaniam Legato 5. Id. Julij iter Liſabonam ſuſcipitur.

Moritur 5. Id. Sept. Labaci RR. Frid. Hoffſteter, Abbas Landſtraſſen: actualis Patriæ Deput. Vir prudentiâ, & exactâ Eccleſiaſticorum diſciplinâ clarus.

 No-

Nona Cal. Jan. Margarita Eleonora à SS. Trinitate prima Parthenij Labacen. Soc. D. Urſulæ Superioriſſa, omnium virtutum exemplar, prudentiæ, & fortitudinis laude magnæ Antiſtitis famam ſibi concilians, obijt cum famâ ſanctitatis.

Infantes Cropæ Cæſareo Minerali, 5. Mil. Labacô diſſito DEI genitricis effigiem, ſtructâ e ligno capella, colere auſpicantur, quæ exinde miraculis indies majoribus in magnum ſupplicantium emolumentum coruſcat.

An. 1709. Comitia memoranda ex CommiſſioneCæſareâ Labaci conventu Procerum Patriæ, Styriæ, Carinthiæ, & Croatiæ, quibus urbem hanc metropolim novis aggeribus, foſſis, & munimentis, ad omnem Architecturæ militaris amuſſim circumvalare, inter reliqua ſtabilitum, ſummo commodo publico celebrantur.

Romæ in Congregatione Generali Capucinorum P. Antonius Crainburgenſis, Patriæ ornamentum, & Religionis decus, non minus vitæ Sanctimoniâ, quam Sapientiâ clarus, fit omnium ſuffragijs Definitor Generalis.

Montis Loiben altiſſimi caverna, rupto ſaxoſo fornice tranſitum omnem è Carniolia in Carinthiam intercludens, *Ordinum* ſumptibus explanatur.

Hoc

Hoc anno Pietate, & Humilitate inclytus Carthuſiæ Vallis Jocoſæ Abbas *Anſelmus*, Labacô oriundus, raro exemplo Prælaturam reſignat, vitam ſolitariam amplexus.

Belli flama in Italia *Cæſarem* inter, & *Galli-Spanos*, ubi primò cæpta, ibi primò exſtincta, ac armorum ſedes Belgium translata, ubi à noſtris Tornacum, ac princeps Hannoniæ urbs ad Montes, expugnatum.

An. 1710. Collegium Juridicum privatum Labaci Authore Franc. Chriſtophoro Wagathei Icto celebri, inſtituitur.

Sept. Id. Apr. *Dorothea* Princeps à Portia filiam nomine *Mariam*, *Joſepham*, *Claram*, *Gertrudem*, *Dorotheam*, felici partu enititur.

Miles popularis Carniolicus magnâ copiâ hinc in Italiam mittitur.

Veneranda V. M. *Maria Angelica Neuriſerin* Ord. S. Claræ Con. Labac. Abbatiſſa, pietate, & Humilitate inſignis, annum Jubilæum aſſumptæ religioſæ vitæ, feliciter complet, & celebrat.

Moritur Franc. Albertus L. B. Peltzhoverus, Labacenſis, eximius Philologus, ævi noſtri alter Lipſius, politiorum Litterarum luctu.

Rudera muri ſolidiſſimi veteris Æmonæ in horto Comitum à Lamberg, majoris commoditatis ergò explanantur.

An. 1711. Preces publicæ triduanæ Prid. Non. Martij ad avertendas imminentes calamitates Peſtis, & belli in Cathedrali Baſilica hactenùs his locis non viſa pietate, inſtitutâ qualibet hora diei nova ſupplicatione, ſumma omnium cum ædificatione, habitæ.

Joſepho I. Cæſare orbi erepto, initio Junij ſtatus Carnioliæ in Cathed. Baſilica, erecto ſumptuoſo doloris caſtro, triduanis exequijs, parentârunt.

Subinde PP. Soc. Jeſu. in Eccl. S. Jacobi eleganti exſtructo funereo caſtro terræ Principis obitum deplorârunt.

Celſiſſim. Princeps Franciſcus Carolus ex Comitibus à Kaunitz, Can. Salisburgenſis & Præp. Vetero Ottingæ, Auditor Rom. Rotæ, in Epiſcopum Labac. ſolemni ritu, & magnificâ pompâ inauguratur.

Campana agonizantium ab Jlluſtriſſim. D. Franciſ. Adamo Com. à Lamberg, pro animarum ſalute, & ſui perpetua commendatione, fundatur.

Stationes 12. venuſtæ, tot itinera DEIparæ Virg. repræſentantes, è Labaco ad Virginem in Campo thaumaturgam, ſine exemplo ædificari cæptæ.

Peſtis animalium ex Hungaria cum bobus in Patriam noſtram delata, plurimam ſtragem cornipedum intulit, à Phyſicis noſtris anno

anno priori locuſtis inferiorem Hungariam, & Croatiam depaſtis, & virulentiâ ſuâ paſcuis corruptis, tributa graſſatur.

An. 1712. Cum per omnes Germanici Imperij ditiones feſtivus indictus eſſet plauſus, gratiæque DEO habitæ, quod Aug. Rom. Imp. Carolum 5. Magni Leopold, filium Regem Hiſpan. coronari fecerit. Diem 9. Cal. Feb. ſolemnitati in Cath. Baſilica D. Nicolai ſacratam Labacenſes habuerè, quâ inter campeſtriũ tubarum ſonitum, bellicarumquè majorum, & minorum machinarum fragores hymnus Ambroſianus decantatus.

Oct. ab hac die Acad-Philo-Harm. ſingulari aggratulationis, gaudijque ſignificatione, mane ſoleñi miſſa in Eccl. Añunciatæ V. & accenſis ſub veſperum fanalibus, applauſerunt.

Celebris comiſſio generalis deputatis primoribus ex Styria, Carniolia, & Carinthia proceribus, menſe Junij; Juſſu Cæſaris in finibus Patriæ, Caroloſtadij, Segniæ, Licæ, & Corbaviæ, ad tutanda confinia adverſus limitaneas gentes, inſtituta.

Templum Divæ Virginis Montis Cetij ſcriptoribus clari, extra Labacum, nova molitione pietate Labacenſium erigi cæptum.

Fortunatiſſimus hic annus ſacro Capucinorum Ordini illuxerat, ob univerſali Eccleſiæ gaudio *B. Felicem* in Divorum numerum

relatum, ſi ulibi Labaci imprimis maxima feſtivitate octiduanâ, copioſis ſupplicationibus, ardentibus ad populum duodenarijs dictionibus, cantatis miſſis, & egregio ornatu celebrabatur.

Non minori apparatu Parthenones S. Claræ Divæ Catharinæ Bononienſi, octiduanâ pariter ſolennitate & quotidiana panegyri applauſerè: ornata tota Eccleſia omnis generis encomiorum affixione, facies ejusdem tota conveſtita, & circumferentia atrij eleganti ſtructura nitens non poſtremum decus conciliavit, & ornamentum.

Hoc anno Inclytum Collegium Medicum tutelares ſuos SS. *Coſmum* & *Damianum* annuâ feſtivitate, & Latinâ dictione in Eccleſi. SS. Trinitatis Virginum Soc. S. Urſulæ, colere ſtatuit.

An. 1713. Copioſæ fuſæ preces, & arctæ vigiliæ in confinijs, & ad Savi ripam, Labaco ad tutelam à naturâ comparati, inſtitutæ, ad peſtem in Auſtria graſſantem à finibus Patriæ arcendam.

Vetuſtiſſimum templum V. DEIparæ thaumaturgæ in *Dobrava* oppido, quod milliari Labaco removetur, à fundamentis, tholo impoſito, formaque auguſtiore reſtauratum.

Obijt Celſiſſim. Princeps Franciſcus Carolus ab Auersberg Welſij relicto unico filio Hen-

Henrico, Joſeph. Joann., cujus pretioſiſſima pars Cor, capſulâ argenteâ incluſum Labaci in Eccleſia V. Aſſumptæ, poſt triduanas funebres Exequias, Celſiſſimorum Antenatum tumulo illatum.

Propugnaculum omnium maximum Labaci extra portam Vicedominatûs dirui cæptum, ac ad alios pios uſus applicatum.

Maximos turbines Labaco cauſarunt ſeditioſi Comitatûs Goritienſis ruſtici, trepidatum undique, ne vicinos ad ſui ſequelam traherent, donec adventu militis à Cæſare ſubmiſſi diſcuſſa omnis tempeſtas, turbarum authores capite plexi, aut in quatuor partes ſecti contis affixi, pœnas, 20. April. An. 1714. ſuæ temeritatis luerunt.

Nonis Auguſt. Excellen. Guidobaldus Com. & D. à Starmberg Ord. Teut. Commendator Labaci, Campi Mareſchallus Gener. Exercitûs Cæſarei - Catholici in Hiſpanijs, Barcinone, ubi Regis Caroli rem uſque ad extremum fortiter tuebatur, redijt Labacum ad commendam ſuam.

